



1
6
535










A



ARTIS MEDICÆ,

QUÆ CONTINET

METHODUM ET PRÆCEPTA UNIVERSALIA AD MEDICINAM FACIENDAM,

SUMMARIUM.

Collectore & Dispositore

JOANNE MASCELLINO PISSAURENSI Medico Doctore.



VIENNÆ AUSTRIÆ,
Typis Michaelis Thurnmayer Universitatis Typographi. Anno 1673.

ILLUSTRISSIMO
ET
GLORIOSISSIMO
DOMINO DOMINO

ACHMET
PASSIA

POTENTISSIMI OTTOMANI

IMPERATORIS

Supremo Ministro & Consiliario.

S. F. P

Supposita veneratione prostratissima &c.



UM primùm in Aula tua, gloriosissime Præsul, familiaris, & Medicus fui constitutus, illicò meum debitum sensi, quod nec vitæ dispendio satis rependere possem: Quid enim honorabiliùs, & pretiosiùs optare poteram, quàm in illius Familia, & Medicum computari, cujus Dignitatem, Mundus universus admiratur, & colit. Id profectò

& vitæ pretium incomparanter excedit; Conatum tamen animi totum impendere studui, ut saltem aliquo non incongruo signo meum non ingratum obsequium demonstrarem: Ita quod in me vita prætiosius existimo, tuo gloriosissimo Nomini offerre, & consacrare deliberavi: Medicæ, nimirum, Artis universæ, quam profiteor, Methodicum collectum Summarium; Libellus, & minimus quidem, sed re ipsa non indignus: Quandoquidem Artis Principia, & Fundamenta continet conservandæ, & reparandæ sanitatis, in qua Mundi humana felicitas maximè consistit: Nec incongruum videtur; ut qui magnam Mundi partem regit, Mundumq; totum regere dignus, salutaris quoque artis Protector appareat: Et ita ex quo Mundus Politicum regimen suscipit, Universalis quoque sanitatis Tutellam agnoscat; Sic ergò diù vivas, Gloriosissime Rector, ut plurimi felicissimi vivant; Sicut & nunc Innumerabiles lætißimi vivunt.

Gloriosissimæ Tuæ Celsitudinis

D. Adrianopoli 10. Decembris. 1672.

Devotissimus & prostratissimus Servus

JOANNES MASCELLINUS.



PRÆFATIO.

NOn cogitet aliquis, me hujus libelli Authorem profiteri ; Quandoquidem, materiam ferè universam, & Ordinem fateor me desumpsisse ab opere mei eruditissimi Præceptoris Joannis Dominici Sala Patavini: Ego autem ordine solùm aliqualiter immutato, superflua multa reliqui, & Artis præcepta in Summarium contraxi, ut sola pura Methodus, & Ars Medica universalis sine fucato ornatu, & unico intuitu elucescat & pateat Id quod non ingratum cogitavi Medicinæ professoribus, qui medicã Artem gravi exercentes labore ampliorum librorum lecturæ non vacant ; Nec Medicis Tironibus inutilè, qui ampla primùm librorum mole oppressi, confunduntur.

Fateor etiam, Artem hanc & Methodum à multis Doctis Medicis fuisse varijs formulis traditam, & posse nunc etiam variè disponi: Non enim ex rei Natura hujus modi Medica Institutio necessaria, cum diversis modis disposita possit eadem præcepta continere. Sed Joannes Dominicus Sala Institutio rei Naturæ ac ordinatæ Dispositioni maximè cohærere videtur, ut à nobis propterea cæteris de medendi Methodo Tractationibus præferatur.



ARTIS MEDICÆ,

QUÆ CONTINET

Methodum & præcepta Universalia ad Medicinam faciendam,

SUMMARIUM.

CAPUT I.

De Artis Medicæ, Nomine, Natura, & Præcognoscendis ad Medicinam faciendam.



QUicumque studet in humano corpore sanitatem conservare, vel morbos tollere, quod est medicinam facere, Arte instructus esse debet, quæ continet Methodum, & præcepta universalia ad Medicum exercitium necessaria.

Hæc est Ars tradenda in hoc libello; Quæ Ars medica rectiùs, quàm Methodus medendi nominatur, quia non solùm pro curandis morbis, sed & pro conservanda sanitate præcepta continet, & non so-

la

la Methodo, ratione ſcilicet, ſed & experientia & ſimilitudine utitur: Definitur autem ſatis aptè: Eſt habitus intellectus factivus, qui dirigit Medicum ad rectè tractandum humanum corpus, ut in eo ſanitatem conſervet, vel morbos tollat.

Quia verò ſanitas eſt finis, & corpus humanum eſt ſubjectum Artis medicæ, nec poteſt Ars medica quidquam facere ad propoſitum finem ſine inſtrumentis operationis, ideò de ſanitate, de humano corpore, & de inſtrumentis medicis operantibus præcedere debet aliqua notitia: Omnis enim Ars ex ſuppoſito fine circa ſubjectum cognitum prout opus eſt verſatur, & inſtrumenta ſupponit, quibus finem comparare poſſit.

CAPUT II.

De Præcognoſcendis circa ſanitatem & humanum Corpus.

SUpponit Ars medica imprimis ſanitatem humanam conſervari opera medica, & reparari poſſe, cùm alioquin Ars nulla, & inanis eſſet, ſi præcepta traderet ad faciendum quod fieri non poteſt; Sunt enim qui Medicinam negant, & nihil agere poſſe Medicum putant; fatali neceſſitate omnia fieri, ſupponunt; & naturam ſatis ex ſe opus ſuum tueri, ſalutaria complecti, nocua repelle-

pellere, unde famosum axioma; Naturæ morborum Medici; & observant in dies Medicorum inanem operam, & errores, ac Principes viros, quibus continuò adstant Medici sæpiùs ægrotare, & mori citiùs hominum rustica plebe, quæ victu pravissimo, & maximis erroribus vitam sanissimam ducit, & sine Medicorum subsidio à morbis gravissimis evadit.

Sed impius est & pertinax qui à Fato pendere omnia censet, atque stupidus, qui à natura omnia fieri posse cogitat: Si fatalia sunt omnia, nullam quisque curam habeat de victu, de vestitu, à feris non caveat; ab incendjis non recedat, se præcipitet ex summis montibus, Fato permittat vulneratas, disjunctas partes, & luxata, fractaque ossa, ut conjungat, & reponat, componatque: Hæc profectò nec Fato, nec sola natura fieri possunt, & medica opera omnino egent? Multorum etiam nocentium arte factam præcautionem, & conspicuas ex missione sanguinis, & ex medicamentorum evacuantium, & alterantium usu utilitates quis in dies non videt? Qui verò errores, & defectus in Medicina contingunt, non sunt Artis, sed ut imperiti Artificis, vel ipsorum ægrotantium, vel fortuitorum: Natura quidem est medicatrix morborum, & multa præstat sola, non tamen omnia, & quæ sola præstare valet, citiùs & melius præstat, si arte juvetur: Principes autem valetudinarios facit, item

laxos, repletos & facilis alterationis eorum vita, nimis lauta, delicata, mollis, deſſidioſa, & gravioribus animi paſſionibus exagitata.

Deinde Ars medica ſupponit, ſanitatem eſſe naturalem corporis humani conſtitutionem, quâ ſecundùm naturæ leges ſuas exercet functiones: Et conſiſtere in proba totius, & partium temperie, compoſitione, & unitate: quæ ſunt ſanitatis partes; Ex quibus conſequuntur, velut accidentia, functionum perfectio, excreta, & retenta ſecundùm naturam; & color, mollities, & aliæ naturales corporis qualitates: Talem autem temperiem, compoſitionem, & unitatem integras ſubſiſtere, ſi vel nullum contrarium extrinſecum occurrat, quod im̃utet, & ſi ſpiritus & humores, quos intrinſecus ad vitæ cuſtodiam natura comparavit, naturalem ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & motum ſervaverint; Defectum verò quemvis contingentem in temperamento, in compoſitione, in unitate, ita ut functiones corporis manifeſtè lædat, ſupponitur eſſe morbum, diſtemperiem, (nimirum) malam compoſitionem & ſolutam unitatem: Humorum autem & ſpirituum vitia, quia pervertunt temperamentum, compoſitionem, & unitatem eſſe morborum internas cauſas: & in functionibus tandem, in excretis & retentis, & in collore, mollitie, cæteriſque qualitatibus vitia eſſe morborum accidentia, quæ ſymptomata vocantur.

Sup-

Supponit denique ſanitatem non ſolùm eſſe conſtitutionem perfectiſſimam, quæ vix datur; ſed & quamvis, licèt minus perfectam conſtitutionem, quæ ſufficit, ut corpus ſuas exerceat ſine moleſtia functiones, ac ideò ampla latitudine conſtare, ut experientia docet: Unde Medici pro artis uſu neutralitatem excogitârunt: quæ tamen nihil aliud eſt, quàm ſanitatis gradus imperfectus, vel diſpoſitio ad morbum; Sicque Medicus vel eam conſervat, quando morbus gravis, vel negotia ingruunt, vel corrigit, ut morbum quando nihil urgentius obſtat.

Circa humanum corpus tandem, quod conſideratur in ordine ad ſanitatem, & morbos, ſupponitur, illud ex quatuor elementis in proprio temperamento conſtitutum, item ex variis partibus, humoribus, atque ſpiritibus compoſitum, plures etiam facultates, & functiones habere, variis denique alterationibus & mutationibus obnoxium. Naſci parvulum, augeri ad ætatem adultam; aliquamdiù velut in vigore conſiſtere, ac tandem ſenio declinare, marceſcere, atque neceſſariò mori: quæ omnia exactè à Philoſopho naturali traduntur; Et ab eo medicus, licèt non exactam, omnium tamen eam cognitionem deſumit, quæ ſatis eſt ad ſuum opus.

CAPUT III.

De instrumentis, quibus Ars medica utitur in suis operibus.

SUpponere tandem oportet, medicum instrumenta pro suis operibus; quæ triplicis generis ex triplici veluti fonte promanant, Chirurgica, pharmaceutica, & diætetica: Quidquid enim agit Medicus, vel manu agit, vel pharmacis, vel jis, quæ ad vitæ usum necessaria, & diæta continentur.

Chyrurgicas itaque operationes omnes salutares pro conservanda sanitate, vel pro corporis vitiis corrigendis præcognitas Medicus habere debet. Pharmaca etiam omnia præcognoscenda, quæ tota rerum sublunarium universitas suppeditare potest. Nihil est enim, quod naturam non produxerit ad hominis salutem, & commodum, & ideò medicamenta desummuntur ex elementis, lapidibus, metallis, Plantis, & animalibus, quæ omnia tenetur Medicus præcognoscere quantum ad facultates agendi in humanum corpus.

Diæteticæ materiæ tandem supponendæ, quæ sunt aër, cibus & potus, somnus & vigilia, motus, & quies, excreta, & retenta, & animi passiones: Quæ omnia exactè considerare & cognoscere, debet Medicus, prout Corpus humanum alterare, immutare, & quovis modo afficere possunt.

CAPUT IV.

De ijs, circa quæ deliberat Ars medica.

MEdicus rerum ſuppoſita inſtructus cognitione, cùm agere vult, & oblatum ſibi corpus tractare, ſupponere qucque illa debet, de quibus deliberandum; Quæ ſcilicet conſilium in Medico ipſo exercitio requirere poſſunt: Ea verò quinque ſunt capita: Primum, an ſit faciendum. Secundum, quid faciendum. Tertium, quibus conditionibus. Quartum, qua materia. Quintum, quibus materiæ conditionibus. Primùm autem & genericè ſupponendum, an ſcilicet quidquam ſit faciendum; Deinde ſpeciatim in reliquis omnibus; An ſcilicet ita faciendum, ſicut fuit inventum: Conditiones verò faciendorum, & materiarum. Sunt quantitas, tempus, locus, modus: Hoc totum exemplo ita demonſtratur.

Si occurat quiſpiam febre laborans maligna; Primò deliberandum, an curandus vel non? Si fuerit enim defloratus, nihil agendum, ne ſalutaris ars diffametur: Et hinc patet de prognoſticandi arte neceſſaria Medico ſuppoſita notitia, ſine qua de hoc primo capite deliberare non poteſt. Secundo facto decreto, quod agendum ſit, & curatio ſuſcipienda, quærere debet, quid agendum, & ſi refrigerandum ſit. Tertio exquirendum, multum, vel parum, in quo corporis loco, quo tem-

pore, & quo modo refrigerandum: Atque supposito ita & ita esse refrigerandum. Quarto, materia est eligenda, & quinto materiæ conditiones decernendæ, ut adhibita materia optatam operam præstare valeat: Refrigerationis enim diversæ materiæ offeruntur, cichoreum, lactuca, serum lactis, venæ sectio, balneum aquæ tepidæ. Et si cichoreum eligatur ut idoneum, usus ejus præscribendus, modus, an aqua stillativa, an ejus decoctum, an conservativa, an succus, an Syruppus; locus, an extrinsecus applicandum, vel per os exhibendum: Quantitas, an unciæ quatuor succi, an aquæ libra; Tempus, an una, vel duabus vicibus in die, decotum cichorei sit exhibendum? In omnibus autem primum consilij caput est repetendum; An scilicet ita & ita refrigerandum; An talis materia cichoreum ita & ita sit adhibendum, sicut fuit inventum.

Ex quibus constat differentia remedij indicati, & materiæ ipsius remedij, quæ Medici plerique confundunt: Remedium enim ex rei natura, quæ remedium postulat, invenitur, & ideò unicum ab unico effectu indicatur: Materia verò est qua remedium indicatum præstatur, & desumitur ex natura indicati remedij, ideoque multiples unius remedij esse potest, ut refrigerationis cichoreum, lactuca, serum lactis, &c. Et multorum indicatorum unica, ut lactuca, & refrigerationis, & humectationis. Ita Galenus in sua Methodo medendi

dendi profitetur, remedia docere, non remediorum proponere materias.

Sunt etiam, qui non diſtinguunt materiæ conditiones ab indicatorum remediorum conditionibus, cùm omninò ſint diverſæ; remedij enim conditiones à conditionibus indicati deſumuntur; materiæ verò conditiones ex remedij natura, & conditionibus, ut infra patebit. Magnus calor in febre indicat magnam refrigerationem, non tantam vel cichorei, vel ſeri lactis quantitatem. Locus remedij eſt locus indicantis: calor in Hepate refrigerationem in Hepate poſtulat; ſed locus materiæ in aſſumptis eſt os, vel ſedes in Clyſteribus, vel externus in perfuſionibus, emplaſtris, &c. Tempus remedij ex tempore indicantis pendet; calor enim vitioſus, ſi continuus eſt, continuam refrigerationem exigit, non tamen continuò exhibenda. Aqua hordei, quæ duplici vice in die ſumpta continuam præſtare valet refrigerationem. Ita denique modus remedij eſt, ut confertim, vel paulatim, totum ſimul, vel per vices ſit conveniens; ſed modus materiæ eſt, ut vel actu calida, vel frigida, vel ſolida, vel fluvida, vel alijs multis formis adminiſtretur.

CAPUT V.

De Inſtrumentis cognitionis in Arte Medica.

AD Medicum formandum conſilium, & ad quodvis deliberandum in Artis exercitio diverſæ

Me-

Medicorum ſectæ antiquitùs inſtrumentis diverſis incedebant, & utebantur; quæ inſtrumenta cognitionis appellantur. Empyrici experientia, & aliquando Analogiſmo, ideſt, ſimilitudine procedebant: Methodici ex ſuppoſitis quibusdam univerſalibus principiis omnia decernebant; ſupponebant enim, quòd omnis tractandus affectus, & morbus eſſet vel conſtrictio vel relaxatio, & ita remedia omnia, vel relaxantia vel conſtringentia rationales unicam rationem ſequebantur.

Hypocrates verò, & Galenus omnium conſenſu Medicorum Principes dogmaticam inſtituerunt ſectam, quæ primùm ratione id eſt indicatione ubi locum habere poteſt, deinde experimento ubi ratio deeſt, vel tandem Analogiſmo, quando nec ratio, nec experientia habetur. Galenus quidem ita mordicùs aliquando pugnat pro rationalibus contra alias ſectas, ut ſoli rationi fidendum doceat: Communiſſima illa principia rectè oppugnat, ut falſa, experimentum accuſat, ut periculoſum, & Analogiſmum deridet, ut ignorantiæ Aſylum: Sed cum exactè rem conſiderat, etiamſi rationalem præferat, reliqua tamen ſimul complectitur, ubi ratio deeſt; Experimentum enim adeò magni facit, ut altero medicinæ cruri illud comparet, ſine quo claudicare cogatur. Imò & principia quædam, ut dignitates ijdem medicinæ Principes ſupponunt, quæ ſunt fundamenta medicæ omnis deliberationis, & operationis.

CA-

CAPUT VI.

De principiis & dignitatibus Artis Medicæ.

REmotæ sunt suppositiones medicæ artis, quæ fuerunt propositæ. Nunc supersunt proximiores, quæ dignitates vocari possunt: Omnis enim ars suis constat Principiis, quibus consilium, decreta, & operationes innituntur.

Primum omnium supponitur finis ultimus medicæ artis, & medicæ omnis considerationis, & operationis sanitas humana, vel conservanda, vel reparanda.

Secundum Axiona in humano corpore conservanda, quæ sunt secundùm naturam, & tollenda omnia quæ præter naturam. Ita quidem conservatur, vel reparatur sanitas.

Tertium Axioma conservatio fit similibus, & sublatio fit contrarijs, quia similibus similia conservantur, & contraria contrariis tolluntur.

Quartum Axioma natura est morborum medicatrix, medicus verò naturæ minister, & Imitator. Ita Hippocrates ratione, ac experimento docuit.

Quintum Axioma, nihil natura temerè agit quando impeditur, quia ordine agit.

Sextum Axioma, Omne nimium est naturæ inimicum, quia in mediocritate perfectio, virtus, sanitas.

Septimum Axioma, Natura ſubitas non fert mutationes; Ita Hippocrates ratione, ac experimento decrevit.

Octavum Axioma, conſuetudo eſt altera natura, quia repetitus frequens actus producit habitum, qui eſt adſcititia natura.

Nonum Axioma. Ex duobus malis, minus eſt eligendum; quando nimirum, ſine aliquo damno, vel periculo curatio tentari non poteſt; Hinc & illud: extremis Morbis extrema remedia: Aliud quoque Galenus; Leſio exitio tollerabilior: Et Celſi ſententia illud remedium ſatis tutum, quod eſt unicum: Si ratio non iuvat, temeritas adjuvat.

CAPUT VII.

De indicatione, indicantibus, & indicatis in genere.

PRimum omnium pro deliberando in conſilio medico inſtrumentum jure proponitur indicatio; quæ ſi poſſibilis eſſet in omnibus mirabiles eſſent medicæ deliberationes, & operationes: id enim quod manifeſtè cognoſcitur, ſine hæſitatione, an ſit, & quomodo factibile patet, unde Gallenus meritò admonet, omnium maximè credendum eſſe rationi.

Indicatio autem eſt ratio, quam exhibet ſua natura, & ſuis conditionibus indicans, demonſtrans

præsidium ad sanitatem conservandam, vel ad morbos tollendos: Ita patet, illud esse indicans, quod sua Natura, & suis conditionibus rationem exhibet, id est circumscribit naturam, & conditiones auxilij, quod est indicatum, & consequenter tot esse indicationes, & indicata, quot sunt indicantia.

Indicans autem in arte medica, quod propriè indicat, debet esse agens quoddam, præsens, unum, & illud idem, quod conservandum, vel tollendum; Agens quidem, nam, quod non agit, nec juvat, nec nocet, & ita non indicat: Præsens, quia id, quod non est, nihil indicat: Unum, quia quicquid indicat per suam essentiam indicat, quæ una est; cum quo non tamen inconvenit esse indicans in essentia compositum, & multiplex, ut febris hectica, distemperies calida, & sicca refrigerationem, & humectationem indicat: Illud idem tandem, quod tractandum, nam absurdum est, ut inquit Galenus, aliud indicare, & aliud curari.

Ex his patet indicare illud solùm, quod est in humano corpore, & omnino pertinet ad ejus constitutionem vel naturalem, vel morbosam: Galenus tamen nomina sæpè negligit, & multa externa, & præterita, victum, Regionem, anni tempus indicare minus propriè supponit: Ita & unicus remedij multa proponit Indicantia, pro phlebotomatica morbum magnum, virium robur, & floridam ætatem; tunc enim minus propriè loquitur, & ea vocat indicantia prout indicantium sunt notæ.

 Ob-

Observare autem opere pretium est, quid sint verè permittentia & prohibentia, de quibus Galenus, & Medici omnes sæpè faciunt propositionem. Permittens itaque illud est, non quod idem indicat, sed quod ostendit sine damno fieri posse, quod indicatur, etiam si fortè contrarium indicet: Sic Vires constantes in magna inflammatione permittunt sanguinis evacuationem, nullo modo autem innanitionem, sed refectionem indicant. Prohibens autem illud est, quod remedium tollerare non potest, ut vires debiles in febre syncopali purgationem indicatam prohibent. Permittentia tamen, & prohibentia ratione tantùm ab indicantibus differunt, quia nihil permittere, vel prohibere valet, quod non indicet; Prohibent namque illa, quæ contrarium indicant: Permittunt ea omnia, quæ non prohibent, vel quia diversum indicant non contrarium, vel si contrarium, nullius tamen momenti, ita ut contemni possit.

CAPUT VIII.

De indicantium, indicationum, & indicatorum differentijs.

DE numero indicantium, & consequenter indicationum, & indicatorum varia est Medicorum doctrina. Sed ex rei natura imprimis duo conspicua sunt generalissima indicantia

tia, res nimirum secundùm naturam, & res præter naturam, pro Medico enim fine, quicquid indicat, vel conservationem indicat, & est res in corpore secundùm naturam vel sublationem id, quod præter naturam; Neutralitas verò medica nunquam per se indicat, & ut affectus secundùm naturam tempore morbi, & negotiorum conservari debet, vel ut præter naturam, quando nihil obstat, im̄utari ad meliorem conditionem.

Hæc deinde duo indicantium genera divisa in suas species, numerum suppeditant omnium indicantium: Res enim secundùm naturam sunt sanitas, causæ sanitatis, & accidentia sanitatis: res præter naturam sunt morbus, causa morbi, & morbi symptomata.

Hinc Medici varias distinguunt indicantium, indicationum, & indicatorum differentias: Indicans à rebus secundùm naturam, nominant vitale, à rebus præter naturam curativum, dicunt, à morbo, præservativum à causa, & demulcens à symptomate: Aliud insuper indicans remotum, aliud proximum, aliud utile, aliud inutile. Remotum ut morbus in genere, qui sublationem simpliciter, & non aliud indicat: Proximum est specialis affectus, ut febris tertiana: utile illud est, cui respondet natura ut intemperies frigida. Inutile illud, quòd nulla materia per se tolli potest, ut magnitudo aucta per se non removetur nisi ablata causa

Hîc sunt qui ab indicatione accidentia sanitatis, & morbi symptomata excludunt, quia nihil utile

in-

indicant, & conſervantur, & tolluntur ad conſervationem, & ſublationem cauſæ. Sed id quamvis ſæpius contigat, non rarò tamen utilem ſuppeditant indicationem, ut inferius patebit: Quando enim urgent, profectò indicant, & quamvis à morbo ſymptomata pendeant, ſine morbi tamen ſublatione aliquo modo tolli, & corrigi poſſunt.

Indicatio tandem, quæ deſumitur in morborum, curatione à parte affecta, ſub quo indicantium genere collocari debeat, non videtur manifeſtum: Partis enim affectæ contemplationem Galenus ita magni facit, ut ſi ea non eſſet neceſſaria nihil obſtaret, ut quis medicinam totam non ſex menſium, ſed ſex dierum ſpatio comprehenderet: Multa verò Galenus conſideranda in parte affecta proponit, quæ ſunt præſtantia, ſenſus, ſitus, & conformatio. Hæ quidem, ut naturales conditiones aliud nihil propriè indicant, niſi conſervationem: Sed cum tractatur in partibus morbus, tùm conſiderantur non, ut propria indicantia, non enim remedia poſtulant, verùm ut ſigna, quæ demonſtrant propria Indicantia, & ita ſunt indicantium ſigna; vel ut notæ, quæ conducunt ad remedij materiam inveniendam, & rectum ejus uſum: Sic partis præſtantia denotat delicatam conſtitutionem, quæ conſervationem exactiſſimam indicat ad bonum totius corporis: Unde inflamato hepade laxantia ſine adſtringentibus, etiam ſi requirantur, non permittuntur, quæ alioquin ſunt

in

in alia parte convenientiſſima. Ulcus etiam, ut ulcus exicationem indicat, ſed exicans materia an cæruſa, an erugo, vel roſæ, Gullæ, plantago conveniat ſine partis affectæ conſideratione decerni non poteſt: Ceruſa enim, & Erugo interficient ſi pro ulcerato ventriculo exhibeantur. Profundæ quoque, ac denſiores partes validiora indicant, quia loci diſtantia, & denſitas infringunt medicamenti vim. Situs item evacuandæ partis oſtendit locum inſtituendum pro evacuatione, quia inde apparet partium ſocietas: Ventriculus namque repletus evacuari poteſt, & per os, & per aluum. In ulcerato ventriculo medicamentum totum ſimul exhiberi debet, in gulæ ulcere verò paulatim deglutiendum, & craſſius, ut ſic oportet, ne citò delabatur.

CAPUT IX.

De ſanitate indicante, & ejus indicatis.

SAnitas indicat ſui conſervationem, & quia conſiſtit in probo totius corporis, & partium omnium temperamento, in recta compoſitione, & unitate indicat conſervantia ipſum temperamentum, naturalem compoſitionem, & unitatem.

Quia verò gradus plures in ſua latitudine habet ſanitas humana, variam indicat conſervationem: perfectiſſima enim exactam ſimilibus eam re-

quirit: imperfectior, si parum ab optima recedat, eandem postulat conservationem, si multum, tunc, nisi obstent negotia, vel aliquis morbus, corrigi debet, ac si esset affectus præter naturam.

Invaluit autem usus in arte medica, ut non solùm exactè similibus facta dicatur conservatio, sed ita nominetur etiam levis, & velut insensibilis facta immutatio: Sicut quando in aliquo sano corpore, quis utitur cibis, & medicamentis quibusdam non nihil frigidioribus, si hepar sit valdè fervidum. Unde alia est conservatio exquisita, & alia minùs exacta, sicut, & im̃utatio alia manifesta in morbis, & alia levis, insensibilis, corporibus etiam sanis conveniens.

Distinguendo ergò corporum, & membrorum ejusdem corporis diversorum varias constitutiones, omnes indicantium, & indicatorum vitalium patent differentiæ: corpus enim temperatissimum omnino similibus conservandum, si aliquo excedat calore, levem exigit refrigerationem, si frigido, levem calefactionem &c. quia ita sanum conservatur: Quod si multum à temperato excedat, sanum tamen sit, tunc vel aliquo levi contrario, si vel morbus, vel negotia manifestam correctionem impediant, conservandum, vel si nihil obstet, ut si esset morbus immutandum.

Ad proportionem ita universalis temperamenti, membrorum omnium propria temperamenta, propria exhibent indicata, ut cor, quia calidum

&

& in ficcum declinans, calefacientia, & moderata excicantia hepar, quia temperatè calidum, & humidum, calefacientia & humectantia temperata indicat; quòd si nimis calidum levissima postulat refrigerantia quæ insensibiliter alterant: Et reliquæ sic partes corporis sua indicata suppeditant.

Tandem in temperamento, & universali, & membrorum indicans quoque maximi faciendum est singularis proprietas, quæ consistens in quadam arcana elementorum complexione propria etiam conservantia à tota substantia, & solo experimento manifesta indicat: Hinc quidam à caseo, à vino, & aliis rebus tamquam à veneno abhorrent, & hinc cor propria quædam cardiaca, hepar hepatica, cerebrum cephalica indicat.

Sed cavendum, ne arcana propria cum aliis, quæ familiaria dicuntur, & qualitate agunt manifesta confundantur: Arcana enim nulla evidenti qualitate, & à tota substantia iuvant, semperque conveniunt, ut bezoar lapis in cordis affectibus, hepar lupinum pro hepate, craneum humanum pro cerebro: Familiaria verò dicuntur, & propria etiam si qualitatibus agant manifestis, quæ morbis adversantur frequentiùs membra corripientibus, ut stæchas, majorana, & aromata omnia cephalica dicuntur; quia cerebrum frigidis & humidis morbis obnoxium, cùm tamen ea non semper conveniant; nam si phrenitis inguunt, sunt perniciosa. Ita pectori amica prassium, hyssopus,

enula, mel, quia detergendo, & irritando pectus tussi expurgant, quæ in sanguinis sputo sputo maximè nocerent: Cor autem gaudet frigidis, & siccis, quia ex ardore in illo facilis putredo: Hepar frigidis, & aperientibus, quia calidum, & venis multis exilibus textum, unde obstructionibus obnoxium. Lien optat aperientia validiora, & potius calida, quia crassioribus redundat humoribus. Ventriculus calida, sicca detergentia; quia in eo calor nativus frequenter languet, & pituita scatet. Renes exigunt frigida, & detergentia ut calculorum familiaris materia expurgetur; & calor efficiens temperetur. Uterus gaudet calidis, attenuantibus, & incidentibus, ut naturalis fluxio menstrua promoveatur. Articuli calidis & siccis, ne tenuem pituitam suscipiant, & colligant: Partes denique omnes principales adstringentia semper indicant, ut ipsarum calor vividus & robur conserventur.

Cæterum naturalis quoque compositio & unitas in partibus corporis indicant conservantia: Sed quia materiæ propriæ non suppetunt conservantes & ad causarum conservationem conservantur inutilē præstant indicationem: Illud tantùm postulant utiliter, ut vitentur, illa, quæ extrinsecus offendere possunt, sed non sunt in artis potestate.

Pro conformatione solùm Galenus indicatum utilimū proponit, id est meatuum naturalium conservationem, quia facilè obstruuntur, & obstructi omnia exci-

excitant morborum genera ; Sicque aperientia semper utilia sunt.

In puerulis etiam aliquid utile indicat Artuum figura, & situs, quia propter mollitiem facilè vicientur, unde nutricis diligentia, fassium artificiosa ligatura, & repositio apta sunt necessariæ.

CAPUT X.

De causis sanitatis indicantibus, earumq; indicatis

SAnitatis internæ causæ sunt spiritus, humores, excrementa, & genita ex excrementis. Hæc sunt vitalia indicantia, quæ conservationem postulant in propria substantia, debita quantitate, qualitate, motu: exempli gratia; Conservant spirituum substantiam aër purus, cibus & potus optimæ substantiæ, quia ex aëre, & sanguine generantur. Conservant eorum quantitatem sanguinis moderatæ quantitates, & præcautio à vigiliis, & motibus corporis, & animi dissolventibus. Qualitatem conservant aër, cibus, potus temperatus, & probum regimen in vigilia, somno, & reliquis vitæ necessarijs: motum denique spirituum conservant, Animi tranquilitas, & passiones animi moderatæ, aër purus, vigilia potiùs, quàm somnus, motus corporis potiùs, quàm quies, usus corroborantium & moderatè calefacientium, ut ambræ, aromatum.

Humores quoque conſervant in proba ſubſtantia optimi ſucci alimenta , & aër purus : in debita quantitate eorundem alimentorum conveniens quantitas ; In qualitatibus , cibi , potus , aëris , & aliorum externorum qualitates moderatæ : In motu debito per venas , & arterias moderata corporis exercitatio , & moderata calefacientia conſervant.

Hæc eadem tandem congruo uſu in excrementis conſervant naturales , ſubſtantiam , quantitatem , qualitatem , & motum. Si enim excrementa non excedant in eis conditionibus , minimè nocent : Imò eorum neceſſaria eſt ad ſanitate quantitas moderata : Ita fællis veſica innanis eſſe non debent à bile , quæ ſuo calore , ut Avicenas docet, fovet viſcerum naturalium calorem, & acrimonia proritat inteſtina, ad fæcum expulſionem : Nec ventriculus ſine pituita , quæ humiditate concoctionem alimentorum iuvat, & inteſtinorum parietes internos delinit , ne à fæculentorum excrementorum lædantur mordacitate.

Spiritus itaque humores, & excrementa hujusmodi conſervationem poſtulant , exactam quidem, quando perfecta, eorum eſt conſtitutio : Quando verò ab ea declinaverint non tamen morbum adhuc producant , tunc levem alterationem , & aliquam correctionem per contraria poſtulant, quæ cum inſenſibilis, & paulatim fiat, conſervatio à Medicis nominatur.

CAPUT XI.

De accidentibus ſanitatis indicantibus eorumq́ indicatis.

ACcidentia ſanitatis indicantia, primò ſunt probæ corporis functiones, naturales, appetus cibi, & potûs, nutrimenti attractio, retentio, concotio, & ſuperfluorum expulſio; animales ſenſus externi, interni, & Motus: Vitales pulſus cordis, ſpirituum vitalium generatio, reſpiratio. Deinde ſunt excreta, & retenta naturalia, fæces, urina, ſputum, inſenſibilis tranſpiratio, menſtruum: Tertio ſunt qualitate Corporis naturales, color, mollities, odor, &c.

Hæc omnia conſervationem indicant, quæ ſunt & ipſa vitalia indicantia, ſed ferè omnia inutilia pro artis uſu, quia ſanitatem & ſanitatis cauſas conſequuntur: Sanum enim corpus, & functiones, & excretiones & qualitates omnes habet probas & naturales.

Aliqua tamen ſunt accidentia ſanitatis; quæ utilem promunt indicationem, & ſunt functiones membrorum principalium, vel principalibus inſervientium, ſanguificatio, ſpirituum vitalium generatio clylificatio, quæ confortationem omnino indicant etiam ſi eorum imbecillitas & purgantibus, & ſanguinis miſſione, & laxantibus adhuc reddatur infirmior. Ita Galenus tria proponit indicata

conſervantia principales, & neceſſarias corpori functiones, calida moderata, aſtringentia, & à proprietate confortantia: Calida quidem, & moderata, ut vicem gerant naturalis coloris, unde pro jecoris inflammatione Galenus abſynthium repellentibus admiſcet, & ab externis actu frigidis cavet. Aſtringentia etiam, ut ſpiritus contineantur; & ita calor nativus augeatur: Ideoq; pro hepatu inflammato laxantibus ea conjungit Galenus. Tertiò denique à proprietate confortantia, quia temperamento, & forma toto, partiumq; ſubſtantiæ ſimilia. Hæc ergò ſunt vitalia indicantia, & indicata, quorum materiam non ſolùm eſſe Alimentum patet: non enim alimenta ſola requirit conſervatio rerum ſecundum naturam.

His præſtatis indicatis conſervatur integra ſanitas, & quouſq; licet, producitur vita: ſed quia ex neceſſitate mortis evictari non poteſt, ſalutaris conſtitutionis, immutatio, ac declinatio à perfectione, propterea in ſenectute, ut mors differatur, quia interitus contingit propter defectum naturalis caloris, omni ſtudio hujus caloris tutela procuranda, inhibendo ne marceſcat ex pabuli defectu ſuppeditato alimento ex calidis, humidis, pinguibus, dulcibus cibarijs; ne â contrario extinguatur vitando refrigerantia externa, & interna, & ne fuffocetur ab excrementis, detergendo, & incidendo craſſos humores, ac irritando expultricem ad ſuperfluorum evacuationem. Ita in ſenili ætate affectus quamvis naturales indicant, ac ſi eſſent morboſi.

CA-

CAPUT XII.

De morbo indicante, ejusq; indicatis.

RES præter naturam in humano corpore, indicantes, ſuccedunt conſiderandæ; Quæ ſunt morbus, cauſa morbi, & ſymptomata, morbus intemperies eſt, mala compoſitio, ſoluta unitas. Intemperies indicat attemperans, calida frigidum, frigida calidum, calida & ſicca, frigidum & humidum &c. & ſic in toto, & in quavis parte.

Mala compoſitio in partibus organicis, ut magnitudo aucta diminutionem, & diminuta refectionem indicat: Ita numerus vel ſuperfluus, vel diminutus, vel ſublationem, vel additionem: ut ſitus vitiatus, quando inferius fit ſuperius, dexterum fit ſiniſtrum, anterius fit poſterius, repoſitionem poſtulat; ut mala conformatio in figura, in meatibus cavitatibus, in ſuperficie, reformationem indicat; Figura enim gibba dirigenda, meatus facti ampliores denſandi, anguſtiores rare faciendi, cavitates ita vel conſtringendæ, vel ſi anguſtiores ex coaleſcentia, vel ſubſidentia, vel obſtructione, vel compreſſione, aperiendæ. Superficies tandem vitiata vel quia nimis lænis, vel aſperior, exaſperationem, vel lænigationem indicat.

Soluta unitas autem, ut vulnus, ulcus fractura, unionem convenientem requirit.

Verùm

Verum enim verò ex propoſitis indicantibus curativis attemperantia utilia ſunt, quia reſpondent materiæ, quibus præſtari poſſunt; Pleraque verò componentia propoſita ſunt inutilia, & omnia unientia: Minuens namque magnitudinem eſt, quod cauſam tollit, & augens ad ſolam naturam pertinet: Pro augenda quandoquidem corporis ſubſtantia naturæ auxiliatur ars, & confortantibus nativum calorem, & ſuppeditata per alimentum materia, & removendo impedimenta, quæ in ulceribus exempli gratia ſunt duo excrementa, craſſum, & tenue, & ideò Galenus duo eorum proponat indicata, deterſionem, & exicationem. Inutilia quoque ſunt cujuscunque anguſtiæ indicata, quia tolluntur ad ſublationem cauſarum: Uniens tandem inutile, quia naturæ ſolùm unio eſt opus, cui ramen artis plerumque neceſſarium ſubſidium, quod quatuor indicatis operibus præſtatur, disjunctarum, nimirum, partium applicatione, applicationis conſervatione, intercisi cujusvis extranei detractione, & affectæ partis corroboratione.

In omnibus autem indicantibus conditiones accipiendæ quibus nocent, quæ ſunt magnitudo, tempus, locus, modus; magnus enim morbus, magnus calor, magnum remedium, & magnam refrigerationem indicat: Eo tempore auxilium poſtulat morbus quando nocet: Tempus indicati eſt tempus indicantis, locus etiam indicati eſt locus

indi-

indicantis: Ubi eſt calor vitioſus, ibi refrigeratio convenit: Modus tandem indicati à modo indicantis oſtenditur. Si paulatim enim nocet, & lentè, paulatim & lentè remedium adhibendum; Si confertim lædit, citò & confertim tractandum.

Sed morbi diſtinguenda magnitudo, quia triplex ex Galeno eſſe poteſt: Morbus namque magnus eſt, quia eſſentia ſua magnus, ut febris ardens, vel quia partem occupat præſtantem, ut tuberculum in pulmonibus in oculo; vel quia malignus, ut carbunculus, & maligna febris, quæ plerumque remiſſa: Unde magnitudo ſola eſſentialis eſt illa magnitudo propria, quæ magnum verè quantitate remedium indicat: Sed Magnitudo ratione partis nobilis, non remedij ſpeciem, ſed locum oſtendit; Malignitas autem circumſcribit intemperiei, vel cauſæ morbificæ veneficam proprietatem, quæ Alexipharmacum poſtulat.

CAPUT XIII.

De morbi cauſa indicante, ejusq; indicatis.

CAuſæ morborum indicantes ſunt omnia, quæ in humano corpore præter naturam aliquem excitant, vel excitare poſſunt morbum, humores, excrementa, aſſumpta, injecta, vermes, calculi: Nec aer videtur excludendus

 pro-

prout circum tangit noſtra corpora, & per inſpirationem continuam fit internus.

Sunt autem propoſita morbi cauſæ quia nocent; Nocent verò vel tota ſubſtantia, ut vermes, calculi, pus, corruptus humor, corruptæ corporis partes; vel qualitate prima, aut ſecunda, ut ſanguis calidior, vel nimis craſſus: Vel quantitate deficiente, aut excedente, ut ſanguis nimis copioſus, vel diminutus: Vel motu, quia ſit abolitus, vel depravatus, aut diminutus in humoribus, & excrementis: Vel denique loco, ut fæces in ventriculum ex inteſtinis migrantes, ſuffuſio in oculo pupillam tegens.

Cauſa morbi ſubſtantia peccans extirpationem indicat, quia tota nocet, tota auferri debet ut vermes, calculi, Putridus humor, pus &c. quòd ſi quandoque tolli non poteſt ſine periculo, tunc poſtulat correctionem, ut minus lædat. Ita venena, maligni humores cum auferri non poſſunt, bezoarticis, & alexipharmacis retunduntur, & ſi fieri poſſit, diminuuntur, & motus eorum pravus ad loca nobiliora, impeditur.

Sed cur humor putridus ante eradicationem, concoctionem, & præparationem indicet? ambas neceſſarias, ut Hippocrates, Galenus, & Medici omnes, ac experientia docent? Et quo titulo purgandus humor utramque requirat, varia eſt Medicorum ſententia. Quicquid autem ſentiant alij, certum eſt, id quod crudum, ſui veluti juris indomitum

mitum esse, & à natura minimè regi & expelli posse; Unde resistentia crudi humoris est illa, quæ contra indicat, & non permittit expurgationem: Illud verò, quod coctionem suscepit, jam est in naturæ dominio, edomitum, segregatum, & facilè vel à natura sola, vel à medicamento conspirante natura evacuatur. Unde humoris dispositio ad suscipiendam talem obsequentem conditionem, est illud indicans, quod ante purgationem requirit concoctionem.

Præparatio autem duplex est: Alia concoctionem præcedit, alia consequitur. Illa disponit humorem ad coctionem, & quænam esse debeat, conditiones reluctantes concoquendi humoris indicant: Ad id præparantia vocantur digestiva, quia coctionem promovent: Ita humor nimis fervidus, crassus nimis copiæ refrigerandus, attenuandus, diminuendus: Præparatio verò, quæ sequitur coctionem est illa, quæ respicit vias, & meatus purgationis ut concoctus humor possit habere vias, & meatus expeditos ad egressum, & ideò diversos humores à purganda materia, quibus meatus obstrui solent, corrigit extenuando, abstergendo, incidendo; Unde indicans hujus præpationis patet, esse obstrutionem viarum ex crassis, & viscidis humoribus.

Sed turgens humor cur sine coctione crudus, & sine præparatione expurgari debet, ut præcepit Hippocrates, & universa Medicorum schola? Pro-

fectò ita indicat urgentissima præsentia turgidi humoris, quæ præsentaneum gravius periculum, & damnum comminatur, quàm succedere possit ex resistentia cruditatis in purgatione, discurrens enim furibundus humor nobilem aliquem locum invadere potest: Hæc tanta est tunc resistentia humoris, & naturæ, quia est in motu, necessariò tenius est, & natura ipsa concitata movet: In eo casu tamen Galenus admonet, si fieri possit, arripiendam esse occasionem exibendi præparativum aliquod, ut mellicratum, in quo Hissopus, Origanum, Pulogium, & similia fuerint decocta.

Dignæ iterum, utilesque sunt nonnullæ quæstiones explicandæ. Primò, quæ digestivorum, concoquentium sit propria natura. Secundò, an sit necessaria pro concoctione humoris adæquatio. Tertiò, an tenues humores statim sint purgandi sine concoctione. Quartò demum, si tenuis fuerit crudus humor, an per concoctionem crassior fieri debeat: Quibus ita respondetur. Ad primum, natura sola concoquit, ars verò naturæ famulatur naturalem calorem temperatis fovendo, & materiam disponendo, unde concoquentia ex arte debent esse moderata calefacientia respectu nativi caloris, & corrigentia materiæ reluctantes conditiones. In externis autem digestiva maturantia pro suppuratione Galenus proponit temperata, & emplastica, quæ poros claudendo,

spirituum

ſpirituum effluvium prohibent, ſicq; nativus calor invaleſcit ad concoctionem. Ad ſecundum, adæquatio eſt certè neceſſaria, quia in ea conſiſtit ipſa concoctio: ideò enim coquendi humores, ut edomiti exceſſus deponant, ſicque obſequentes naturæ fiant. Ad tertium, crudi humores nimis tenues omnino ut coquantur, craſſiores fieri debent, ea tamen craſſities fluxibilitatem non tollit ad purgationem; concoctio enim procedit incraſſando. Ad quartum, tenues humores ſi veri humores fuerint, & crudi prius omnino coqui debent, & poſtea expurgari; non enim aliter à natura poſſunt regi, & expelli. Seroſitates verò, & aqueæ humiditates, quia ſegregatæ, & concoctionem non admittunt, evacuari ſtatim poſſunt.

Secundò, cauſà morbi qualitate prima, vel ſecunda peccans correctionem indicat per contrariam qualitatem. Ita tertiò quantitate vitiata diminui, vel augeri debet. Quartò, pariter eſt conſpicuum de loco vitioſo morbificæ cauſæ indicatum, quia tranſpoſitionem indicat in locum, ubi non lædit, vel minus nocet, ut ſuffuſio, calculus: de his quidem omnibus nulla difficultas.

Sed tandem de vitiato motu cauſæ morbificæ, quia varius eſſe poteſt, plures Medicorum ſunt contentiones. Id verò certum imprimis eſt, quòd motus humorum, & excrementorum naturalis prout diverſo modo vitiatur, diverſa promit indicata; ſi abolitus, excitari debet. Ita ſanguis

& ſpiritus per venas, & arterias moveri debent, cum alioquin corrumperentur: Ita fuligines per cutis poros, Menſtrua in mulieribus, ſanguis hæmorrhoidalis in aſſuetis eum ſubſiſtunt promovenda: Si motus fuerit diminutus, & imperfectus, juvandus eo ipſo tempore, in quo eſt diminutus, ut in criſibus imperfectis, quando natura non ſufficienter movet, & evacuat, tunc promovendus omnino motus, nec formidandum, ut Medicorum plerique, ne ob duos motus, naturalem, & artificioſum natura ſuccumbat; Sed incitandus, ut præſtàrunt generoſi Medici Hippocrates Galenus, Avicenas, qui ex materiæ, impetu ægri viribus, & affectus urgentia non ignotum futurum æſtimabant, an natura, quæ adhuc movet, multum vel parum debeat movere. Ita Hippocrates iuvat abſceſſus, & vomitum vomitu ſiſtit. Galenus Parotides attrahentibus iuvat, & tempore mittendi ſanguinem, ſi menſtruus, vel hæmorrhoidalis ſanguis moveri incipiat, docet, obſervandum ſanguinis fluentis impetum, qui ſi ſolus videtur, ſufficiens, nihil movendum, ſi verò diminutus, tantum ſanguinem eſſe detrahendum, quo neceſſaria perficiatur evacuatio: & Avicenas fluxum fluxu curandum imperat.

Si motus deniqùe fuerit depravatus, qui ducat materiam ad locum indecentem, impediri debet: Et quatuor modis, ſicut quivis fluxus, impediri poteſt. Primò retrahendo, quod fluit ad

locum

locum à quo fluit, & hunc dicunt, devulsionem. Secundò, retropellendo à loco in quem fluit, vi ab anteriori facta, ita ut retrocedere materia cogatur. Et repercussionem vocant. Tertiò, trahendo non retrò, sed ad latera per aliam viam, quæ consentiat cum utroque termino à quo & ad quem, & derivationem appellant. Quartò, sistendo materiam fluentem in via, ita ut non moveatur, & interceptionem nominant.

Quatuor autem hi modi non indifferenter conveniunt in quovis motu, ita ut sine distinctione hic, vel ille in quovis motu adhiberi possit: Sed cum sint diversi, à diversa motus conditione indicantur, & qui sit conveniens, demonstratur.

Et quidem fluens materia vel pervenit ad locum ubi nocet, vel nondum eum attingit. Quæ pervenit si fluitat adhuc, reppellentia indicat; quiescens enim, & fixa in parte requirit evacuationem. Si non pervenit, estque in via, vel proxima termino, à quo fluit, & revulsionem exigit, vel in medio itinere, ita ut portio jam terminum, ad quem occupet, & derivationem postulat: Vel est in via, remotior tamen à termino ad quem, & interceptionem indicat. Ita ergò tales fluxionis diversæ conditiones propositos diversos modos indicant, quandoquidem ab ijs indicantur, quæ præstant: Retro ea sola fluxio pellitur, quæ partem fluitando attingit, quæ enim distat, & præsens non est repellitur: Retrahitur verò materia si fuerit proxima loco, unde discedit, remota namque retrahi nequit, vel ad proximæ

tra-

tractionem ſequitur. Hinc ante morbi principium, & in principio, & in augumento juvat reuvlſio: Et hinc Galenus docet, ut ad remotiſſima fiat revulſio, ad remotiſſima tamen fluxionis non totius corporis niſi à diſtantiſſimis locis incipiat; & niſi fluxionis terminus à quo ignoretur; tunc enim locus verè diſtantiſſimus, ut ſecurior eligendus. Ita capite inflammato à fluxione ex plethoria univerſali, vena pedis aperienda, ſi verò non tanta fuerit repletio, vena brachij ſecta revulſionem præſtabit: Revulſio item illa eſt, quando in ophtalmia, occipitio ex Galeno, apponitur cucurbitula, cum ſcilicet à ſolo capite in oculum delabitur ſanguis: & quando ex Hippocrate vena frontis inciditur poſterioribus capitis dolentibus.

Derivatio autem eſt illa, quæ ad latera materiam fluentem trahit, & ideò ex utroque termino, à quo, & ad quem trahit, quia locus derivationis cum utroque communicare debet. Hinc ſuſpecta derivatio in principio morborum, ne trahens ex utroque & à termino à quo magis concitet fluxionem in locum affectum, quam poſſit ex affecto loco trahere. Ex loco tamen affecto derivatio tunc trahit, quando ibi fluitans adhuc humor, non fixus continetur: Quieſcens enim, & fixus non amplius derivationem, ſed evacuationam requirit. Interceptio tandem illa eſt, quæ materiam in medio ſpatio detinet, & ſic intercipit; Quæ namq; in utroque termino eſt, non intercipitur.

CAPUT

CAPUT XIV.

De morbi ſymptomatis indicantibus, eorumq́; indicatis.

DE morbi ſymptomatis indicantibus reliqua eſt conſideratio; quæ ſunt functionum læſio, qualitas mutata, excretum, & retentum vitiatum. Hæc autem cum tollantur ad morbi ſublationem nullam plerumque utilem exhibent indicationem, & ideò à Medico negligi ſolent: Sunt verò ſymptomata urgentia, quæ omnino ablationem, vel remiſſionem poſtulant priusquam auferri poſſit morbus.

Quæ autem ſint urgentia ſymptomata Medici ſcriptores non conſentiunt: Dolorem ſolùm proponit Avicenas, Galenus tria, dolorem, vigilias, & immodicas evacuationes. Alij plura, alij pauciora: Sed ex rei natura ita videntur urgentia ſymptomata ſtatuenda.

Profectò ea ſymptomata indicant, quæ urgent: Vrgent verò quando morbi curatio non debet expectari: Morbus autem negligendus, & ejus curatio non expectanda, quando aut nullo tempore ſit poſſibilis; ſymptomata verò actio læſa vitæ, ſit maximè utilis, ut ambulatio multilato crure, appræhenſio reciſis manibus, locutio, viſio &c. Aut eſt quidem poſſibilis, ea tamen ita longa, & tarda, ut vitæ periculum immineat, niſi tollatur ſymptomata priusquam curetur morbus. Hæc autem urgen-

tia propria ſymptomata videntur manifeſta, quæ ſequuntur.

Primò, animi deliquium urgentiſſimum vitæ nimirum ſemiextinctio: Sed contingit in tertianis febribus, & aliis morbis longis.

Secundò, acerbus dolor ſi per diem affligat interficiet, aut coget ægrum ſe interficere, cum ſæpè à vulneribus inflammationibus, & aliis morbis proveniat, qui per multos dies non curantur.

Tertiò, vigilia multorum dierum continua, exitium adferet, cum tamen melancholiam, maniam conſequatur multorum menſium ſpatio non curabiles.

Quartò, nimius ſomnus nimium cerebro humectato apoplexiam inducit, & mortem, lethargus tamen, & frigida intemperies, diù perdurant.

Quintò, ſitis non rarò intollerabilis, nec eſt quiſpiam adeò patiens, ut eam perferre poſſit ad febris ardentis curationem.

VI. Innapetentia cibis ſæpè cogit ægros, & maximè pueros à cibis abſtinere, ſequi autem ſolet febres longas, & ventriculi contumaces intemperantias.

VII. Fames canina inducit ſyncopem, & multa pericula, cauſa tamen illius non citò ſuperatur.

VIII. Reſpiratio vix momento deeſſe poteſt ſine exitio: Angina verò tollens reſpirationem vix horis vigintiquatuor ſolvitur.

IX. Sine deglutione ac ſumptione cibi poteſt quis per dies aliquos vivere, non tamen toto illo tempore, quo perdurant morbi eius impedientes.

X. Evacuationes omnes etiam excrementorum, & maximè sanguinis profusæ, nisi comprimantur, vitam simul profundunt: Sed à vulnericus, ærosionibus, & aliis longis excitantur morbis.

XI. Menstrua retenta, hæmorrhoides suppresſæ gravissima inducunt pericula. Urina brevi tempore detinetur sine discrimine. Ita, & alui fæces: Sed obstructiones, & alii morbi, ex quibus ea symptomata dependent, raro possunt nisi longo tempore curari.

Talia itaque sunt urgentia symptomata, quorum indicata utilia sunt explicanda pro eorum sublatione, vel mitigatione.

Et quidem incurabilis morbi symptomata, in actione læsa non aliter mulceri possunt, quàm per substitutionem alicujus substantiæ, quæ deficiens morbum facit: Palliativam curationem hanc dicunt: Ita crure ligneo ambulatione, inciso lato cruris tendini, qui sustinet pedem funiculo, apprehensioni manu lignea, adscititiis repositis dentibus, & ob corruptum os palati, lamina argentea palati vicem gerente, locutioni, & visioni ex senio, & variis morbis incurabilibus, perspiciliis succuritur.

Ex aliis verò morborum curabilium symptomatis. Primò animi deliquium ex quavis causa fiat, est spirituum vitalium defectus, qui subitam refectionem indicat, eam autem præstant, aër purus, odorata omnia, cordialia.

II. Dolor, quia fundatur in duobus, in sen-

 satione,

ſatione, & moleſtia ; Ad ſenſationemque requiruntur ſenſus, & animi advertentia ; Ita quicquid his erit contrarium, doloris erit remedium, moleſtæ ſenſationi, iucunda ſenſatio contraria, quæ fit oblatis tactui, ijs, quæ ſunt molia, oleoſa, pinguia, temperata, ut balneum aquæ tepidæ jucundiſſimum inquit Galenus, & mollia tactui eſſe ita jucunda, & grata, ſicut ſuaves voces auditui, variegati colores viſui : Senſationi contraria inſenſatio, quam ſtupefacientia producunt, & ſomnifera : Animi advertentiæ contraria diverſio in alia objecta, unde mitigantur dolores amicorum colloquiis, cantibus, objectis jucundis ; Et obſervabat Hippocrates duobus doloribus ſimul obortis majorem alterum obſcurare, & vulnera, dum ira, & alia paſſione agitatur animus, non ſentiuntur.

III. Vigiliis eſt contrarius ſomnus, unde ſomnus à vigilia indicatur, & quia vigilia eſt ſenſuum exercitatio, & ſomnus requies : Senſationes autem fiunt, quia inſtat objectorum præſentia, & quia ſpiritum, & ſentientem virtutem ſuſcipiunt ſentientes partes, vigiliæ indicata remedia ſunt primò, quæ removent objecta, feneſtræ clauſæ, tenebræ, oculorum occluſio, ſilentium, interdicti ſtrepitus, odores, ſapores, & prohibitæ omnes tangibiles qualitates : Ita quies, lectus mollis, aer temperatus conciliant ſomnum : Deinde illa, quæ ſpiritus animales à cerebro influere prohibent, meatus, & vias occludendo, ut

in

in ebriis, & à cibo vapores copiosi, & quæ spiritus refrigerant, & incrassant, ut narcotica, opiata: Atque tandem ea, quæ spiritus in aliquam partem suaviter divertunt, ut moderata lectio, cogitatio non intenta, cantus suavis, motus levis cubilis, scalptus pedum somnum provocant.

IV. Vigiliam è contra in somno vitioso excitant sensibilia violenta, exiccantia, & calorifica.

V. Sitis appetitus frigidi, & humidi ex defectu frigidi, & humidi in ore ventriculi refrigerantia, & humectantia, indicat circa os, fauces, & orificium ventriculi: Ideò aer frigidus inspiratus, frequens collutio ex frigido liquore, nucleorum ex cerasis, prunis, cristalini globuli detentio in ore juvant: Potus etiam aliquando largus aquarum destillatarum, cum vitrioli spiritu, succo citri, limonum, narantiorum, granatorum est necessarius: Hippocrates autem proponebat sitis remedia, os clausum, silentium, & aerem cum potu frigidum haurire.

VI. Innapetentia cibi excitationem appetitus indicat, quem excitant ciborum gratorum, jucundorum, odoratorum oblatio, & quæ in ore ventriculi corrugationem promovent, ut acida, austera, acerba, unde melancholicus humor, & acida pituita excitant famem caninam.

VII. Nimia fames è contrario indicat ingratorum ciborum oblationem, & pinguia, oleosa, ac relaxantia omnia: Ita è lacte abstinent infantes, cum eos matres decipiunt, aloe inficientes Pagillas

mamarum, & ebriosi aliqui paulatim assuescunt à vino abstinere, cum sordida, & fætida clam vino admiscentur.

VIII. Respiratio cum tollitur, illicò remedium postulat; Id quod in angina solùm est repertum ab antiquis Medicis, asperæ arteriæ perforatio, quæ licèt periculosa, consultius tamen eam facere, quam certam permittere mortem.

IX. Retentio materia præter naturam evacuationem indicat. Ita sanguinis menstruus, hæmorrhoidalis detentus vena secta in pede, vel huiudinibus avo applicitis provocatur: fæces clysteribus dejectoriis assumptis, & suppositoriis eijciuntur. Urina retenta in vesica syringa immissa egreditur.

X. Nimia evacuatio indicat retinentia: Hæc sunt, quæ vias occludunt, ligaturæ, glutinosa, crassa medicamentorum, & ciborum materia: Atque in externis sanguinis effusionibus crusta ex ferro candente, & causticis, sanguisque ipse concretus: Sed hæc valent in externis, quando fluvens materia expultricem non irritat: fluente nunquam aluo nihil juvat anum obturare, & in profuso vomitu os claudere; Tunc enim constringentia, viscida, & incrassantia utilia sunt.

XI. Tandem impedita deglutitione, & assumptione ciborum, Iubulis in Esophogum intromissis, materia cibi profunditur, cibus etiã sumptus, & non deglutitus, ore clauso, & compressis naribus deglutiri cogitur ex respirationis necessitate: Et si nullo

nullo modo fieri possit deglutitio, clysteres nutrientes, odores, & pingues externæ inunctiones aliquid præstare valent. Quod si non possit os ex convulsione, vel ex alio impedimento recludi, itaut cibi assumptio impediatur; vel deductione oris vi facta, vel meatu facto inter dentes, sublato etiam aliquo dente, intrusio cibi procuranda.

CAPUT XV.

An quidquam absolutè faciendum, unde dessumatur.

MEdicus circa sibi oblatum corpus sanum, vel ægrum, supposita indicantium, & indicatorum cognitione; primum omnium determinare debet, an quidquam sit faciendum, nè frustrà, & cum dedecore laboret ad finem impossibilem.

Faciendum quidem, & suscipiendam esse tractationem constat, quando Medicus potest suum finem consequi. Finis autem duplex esse potest, vel sanitas, vel aliquod Patientis solatium, & vitæ productio, quando morbus est incurabilis.

Et quidem in sano corpore Medicus potest semper agere, quia nihil prohibet, quin impendat suam operam ad sanitatem conservandam: In morbis verò, si morbus fuerit incurabilis, & deploratus, nihil faciendum, ab eoque recedere Medicus debet, ut principes Medici omnes proclamant, ne ars, & remedia salutaria diffamentur.

Si autem

Si autem fuerit morbus curabilis, quamvis periculosus, curationem suscipere Medicus debet,& omnino tunc agendum.

Sed objiciunt aliqui. In crisibus etiam nihil faciendum iuxta præceptum Hippocratis. Quæ judicantur, & judicata sunt integrè nec movere, nec novare quicquam oportet. Nec in sanissimis corporibus aliquid agendum; nam qui perfecta fruitur sanitate Medico Præside non eget exGaleno, & ex Celso: Qui sanus est, nec Medico, nec Iatrolipta opus habet: Et profectò in sano corpore nihil corrigendum, & natura sola per se ad functiones omnes sufficit: In deploratis verò morbis observamus Medicos aliquid agere in Phtisicis, Hydropicis, in Cancro.

Verùm enim verò hæc nihil propositæMethodi obstant; in Crisibus nihil Medicus agere debet quantum ad evacuationem; alia verò multa ommittere non potest, nutritionem, corroborationem: In sanissimo etiam corpore, quod vix datur, multa præcavere, & victum benè disponere pro conservatione tenetur. In deploratis autem cogitur Medicus aliquid facere, non profectò ad sanitatem, sed ut solatium aliquod Ægrotanti præstet, morbos aliquos leves tollendo, symptomata demulcendo, vires roborando, ut vita producatur, & minus incommoda sit.

Caveat verò Medicus in Pronostico ne decipiatur, ægros deploratos pronunciando, & derelinquendo. Sciat morborum Auctorum ex Hippo-

pocrate non esse certas prædictiones; & multos ægros deploratos sine spe mirabiliter aliquando evadere, & sanari: Contingereque in Arte sicut in Natura monstra, ut Averroes, & Avicenas testantur: Quinti Sereni quoque sententia memoranda: Nec desperatis denegandam esse medicinam, cùm Deus, cujus donum est, & Natura sæpè ab imminenti morte vindicent: Atque distinguat mortis necessitatem à periculo: Consultiusque esse putet, ut aliquid cum pronostico in deploratis faciat, ne superveniens Vetula inepto aliquo opere se derelictum Ægrum sanasse cum Artis dedecore glorietur?

CAPUT XVI.

An quidquam specificè faciendum, unde desumatur.

POstquam deliberaverit Medicus humani oblati corporis tractationem suscipiendam, & facienda indicata, materiasque indicatorum cum suis conditionibus agnoverit; Deinde an hoc, vel illud indicatum remedium sit faciendum, oportet, ut decernat; nimirum, an refrigerandum, an ita & ita refrigerandum: An cichoreum sit conveniens, an ita & ita conveniens, sicut fuit repertum.

Hæc autem omnia indicata, & requisita, utrum conveniant, & præstari debeant, ex eo deliberat Medicus, quid possit, vel non possit fieri;

 Quod

Quod idem eſt an permittatur, vel prohibeatur fieri.

Et quidem in ſimplici affectu, omnia fieri poſſunt, ut in ephemera febre, cui nulla iuncta cauſa, refrigeratio indicatur; nec quidquam eſt præter naturam, quod prohibeat.

In compoſitis verò affectibus contrariis non diverſis eſt difficultas, in diverſis enim nihil obſtat, ut omnia fiant, ut nutrire, refrigerare humectare.

In contrariis autem, quæ non inconveniens eſt ſimul eſſe in varijs corporis partibus, imò & in eadem ſecundum diverſas particulas faciendum, quod fieri poteſt vel unum, vel aliud, vel medium, quod utrumque reſpiciat.

Media quidem via tutiſſima ſi utriusque indicati æquale ſit robur. At ſi alterum urgeat magis, quia periculum comminetur maximum altero neglecto, illud ſolùm tractandum, ita Galenus in acutiſſimis vires indicantium Reginas contemnit, & inædiam imperat, ſanguinem evacuat ad animi deliquium: Quia tamen in periculo eſt latitudo, ſi non adeò magnum ſit periculum, alterum quoque contrarium eſt reſpiciendum: Et ſi utrumque urgeat, utrumque reſpici debet, illud tamen magis, quod periculoſius.

Media verò ſervatur via ſi remiſſiùs auxilium adhibeatur, quàm requirat magnitudo affectus gravioris, vel ſi per vices modò unum, & modò alterum contrarium, ut in repletione cum virium im-

imbecillitate Gallenus per vices paulatim evacuat, & alimento vires instaurat.

Ordo autem agendorum decernendus, quando multa simul complicantur sicut coexistunt frequenter morbus, causa morbi, impedimentum id est causa sine qua non.

Profectò in tractatione regulari, primò causa principalis, secundò causa sine qua non, tertiò loco affectus tractari debet. Accidentia enim non indicant in regulari tractatione, quia solùm indicant, quando urgent: In tractatione verò coacta, si præter ordinem aliquid urget, illud primò tractandum quidquid sit, vel accidens, vel affectus: Ita profluvium sanguinis in vulnere prius tractatur, neglecto vulnere, & syncopes in febre neglecta febre.

In regulari quidem tractatione plana est via: Causa morbi est certè primò tollenda, quia innannis esset labor in curanda putrida febre non sublato putrido humore: Ita ulcus non sanatur, nisi affluxus ulcerantis humoris prius inhibeatur. Deinde impedimentum est removendum sine cujus ammotione morbus non curatur, ut in ulcere, sordes, quæ sublata fluxione humoris, detergenda: Et sic faciendum planè, nisi causæ principalis simul tractationem impediat, ut fæces intestinorum, & excrementa primæ regionis plenitudinis universalis evacuationem impediunt.

Urgentia, quæ primum habent locum, tot esse possunt, quot sunt indicantia: Res omnes secun-

dùm naturam, & res præter naturam, quandoquidem quævis potest vel instans periculum adferre vel in eodē pretio esse cū Vita; unde quidquid urget, vel absolutè, & propriè urget, ut cum vitæ discrimen comminatur; vel respectivè & impropriè, quando longitudinem portendit, vel aliquem defectum pariter cum exitio æstimatum: Sunt enim, qui potius mori velint, quàm diuturnum perferre morbum: Et meretrices omnia pericula eligunt potius quàm bubonis suppurationem, ne relinquatur cicatrix.

Urgentia autem proposita si comparentur, ordo talis esse debet. Absoluta urgentia plus urgent quàm respectiva: Minus adhuc urget deformitas, quàm diuturnitas morbi.

Res item secundùm naturam plus urgent, quàm res præter naturam, unde Galenus indicantium reginas vires nominat, quia viribus vita subsistit: Quòd si multa complicata sint urgentia, ita ut simul tractari non possint, communis tunc methodus servanda, causa primò, deinde affectus, ultimo accidentia, si quæ sunt, respici debent.

Si magni morbi plures fuerint, primò sunt maligni tractandi, deinde, qui nobilem partem occupant, ultimò, qui essentia sunt magni, quia tardiùs interficiunt.

Nobilium autem partium affectus, primò tractandi, qui quatuor principalia membra occupant, cor, hepar, cerebrum, testes, inter quæ prius cordis,

dis, deinde cerebri, tertiò hepatis, ultimo testium curandi. Secundò partes membris principalibus inservientes, venæ, arteriæ, nervi, spermatica vasa tractationum postulant. Tertiò, loco partes, quæ communi toti corpori officium præstant, ventriculus, intestina, lien, pulmones, aspera arteria, vesica, uterus: Reliquæ partes non multum inter se differunt; sensoria tamen cæteris præstant.

CAPUT XVII.

Quid faciendum, â quo indicetur, & desumatur.

QUæsitum hoc superfluum hoc loco videri potest, cum satis superque fuerit jam explicatum, ex rei natura cognita per indicationem, si verò ignota fuerit, per experientiam, vel analogismum, desumi, quid faciendum: in abundantiam tamen præsens etiam institutum caput, ut sit conjunctum sequenti de conditionibus efficiendorum, & ad majorem explicationem, quia plures Medicorum Galeni verba, non mentem considerantes, ex multis indicantibus, colligi, docent, quid faciendum: Galenus quidem non rarò sanguinis missionem, purgationem ex humorum quantitate, substantia, morbi essentia, magnitudine, ex viribus, ætate, anni tempore indicari explicat, atque cum Hippocrate magnum morbum, floridam ætatem, virium robur indicantia confirmat venæ sectionis.

Verùm

Verùm quando rem Galenus exactè considerat, & tradit, proprièque agit de indicantibus, & indicatis docet planè indicantis Naturam ostendere nobis quid agendum; & sicut indicans unum est, & illud idem est, quod conservari, vel curari debet, ita & ipsum indicatum efficiendum unum esse, & indicanti simile, vel contrarium: Quæ multa verò alias proponit, non ut propria indicantia considerat, sed ut signa, quæ naturam indicantis manifestant: Ita plenitudo impropriè dicitur indicans venæ sectionis, cum propriè nihil aliud quàm innanitionem indicet, quæ non sola venæ sectione, sed inædia, scarificationibus, hirrudinibus, exercitio, balneo fieri potest: Nec venæ sectio plenitudinem solam evacuat, sed & refrigerat, ventilationem facit, & movet humores: Ita nec morbus magnus, ætas florida, virium robur propriè indicant venæ sectionem, ut patet; Cùm tamen certissimam simul juncta notam promant, & brevem ferè infallibilem regulam constituant virtute continentem propria indicantia, & permittentia venæ sectionis: Ea namque si adsint, magnum aliquod sanguinis vitium, & vires constantes ostendunt; Id quod est satis sine alio longo discursu, ut Medicus de venæ sectione decretum salutare facere possit: Et hinc Galenus oraculum vocat illam Hippocratis sententiam, & miratur, quòd inter aphorismos collocata non fuerit:

CA-

CAPUT XVIII.

De conditionibus faciendorum quantitate, tempore, loco, modo.

QUid faciendum non difficile inventu; ſed quibus conditionibus faciendum, & quã materia, & materiæ conditionibus, hoc opus, hic labor, & ut Medicus inveniat, doctus, & peritus eſſe debet.

Supponendum autem indicatorum faciendorum conditiones omnino differe à materiæ conditionibus, ut ſupra probatum fuit: Aliud enim eſt eſſe refrigerandum, ut duo, & aliud uncias duas cichorei eſſe exhibendas.

Conditiones faciendorum ſunt quantitas, tempus, locus, modus, Pro quorum indicantibus cognoſcendis, regia eſt methodus, quam proponit Galenus his verbis: Genera auxiliorum à generibus affectuum indicantur; Species à ſpeciebus, differentiæ à differentijs, & quod ſine differentia, & abſolutè, & ſine conditione indicat, aſſumpta differentia, & conditione indicati differentiam, & conditionem indicat; Ita frigidum abſolutè requirit calidum abſolutum, & magnum frigidum exigit magnum calidum: Unde conditiones indicatorum ex conditionibus indicantium deſumuntur.

Primò itaque agendorum quantitas ab indicantis quantitate indicatur, quodcumque illud ſit,

vel effectus vel causa, vel accidens, & vel secundùm naturam, vel præter naturam. Ita Hippocrates extremis morbis extrema remedia proponit, & Galen⁹ in ardentissima febre gelidam aquã exhibet: Sed circa morbi magnitudinem cavendum, quod cum triplex sit magnitudo, illa sola, quæ à morbi essentia pendet, remedij quantitatem indicat; nam ratione partis nobilis magnitudo indicat remedij locum, & ratione malignitatis, alexipharmacum.

Pro hac quantitate autem invenienda imprimis non difficilè remotiorem cum aliqua latitudine invenire: Pro magno calore multum esse refrigerandum constat. Nec difficile in simplici affectu ita eam decernere: Difficiimum verò exactam illam quantitatem invenire, quæ omnino exactè indicatis respondet, ut in tali febre talis ægri esse refrigerandum in tali gradu, quia recessus caloris exactus à gradu caloris naturalis difficilimè cognoscitur: Et hæc est quantitas, illa, quæ nec dici, neque scribi potest, & si, quid aliud artem maximè conjecturalem facit: eamque si Galenus exquisitè cognoscere potuisset alterum se Æsculapium æxistimâsset: conatus ergò diligens impendendus pro hac invenienda quantitate in faciendis omnibus, quæ speciatim quantum ad gradum qualitatis ex recessu à propra patientis natura desumitur; non enim homo curatur universalis, sed Petrus, Socrates; nec semper Petri totum corpus, sed vel hepar, vel cerebrum: Ex quo patet difficultas non in arte, sed in artis exer-

citio

citio dum circa particularia verſatur Medicus, quorum proprietates cognitu difficilimè.

Multam quoque difficultatem habet debitæ quantitatis inventio ubi complicata ſunt contraria indicantia, quorum alterum magnam requirit, alterum minori ea læditur; ut in Hydrope multum ſerum evacuationem quoque multam indicat: Sed vires imbecillæ, quia eandem non perferunt, non eſt facilè quantitatem illam evacuationis invenire, quam vires tollerare valent ſine jactura: Incomplicatis itaque affectibus contrarijs ubi requiſita quantitas prohibetur, tantum diminuendum de quantitate quantum prohibetur. Ita repetendum auxilium, quod repetitum quamvis remiſſius id præſtat, quod ſemel copioſius, vel intenſius.

Quantitatem denique faciendorum partis affectæ conditiones, præſtantia ſenſus, ſitus, conformatio multum variare poſſunt: Si præſtans enim fuerit, non tollerat plenam indicati remedij quantitatem. Ita, & ſenſus exquiſitus: ſi autem denſior fuerit, & profundus locus affectus majorem poſtulat indicati remedij quantitatem: ſed hæ partis conditiones eatenus indicant, quatenus tas prohibent, vel ad remedij materiam pertinent.

Altera faciendorum conditio eſt tempus, quod à tempore indicantis indicatur. Tunc morbus tollendus, quando nocet: Tempus indicati eſt tempus indicantis: quod ſi eo ipſo tempore non administretur præſidium indicatum, in cauſa eſt

 aliquod

aliquod prohibens ; unde certa regula indicati auxilij tempus indicatur à præſentia indicantis , & abſentia prohibentis ; Debet namque medicus remedij tempus inveſtigare , quod ex præſentia indicantis deſumitur : Deinde tenetur exquirere , an eo tempore faciendum, quòd fuerit indicatum , & hoc dependet ex abſentia prohibentis . Ita in putrida febre, quæ requirit evacuationem , ſi cardialgia infeſtet, quæ refectionem contrariam ſtatim indicat, eo tempore indicata evacuatio prohibetur.

Nec obſtat curationem in præteritis morbis continuari , ne recidiva contingat, & pro futuris etiam adhiberi medicam operam , unde videtur non ſemper tempus remedij deſumi ex præſentia indicantis ; Non inquam hæc obſtant , quia tunc reſpicitur præſens apparatus humorum , qui reliquus eſt , & recidivam , vel morbum novum excitare poteſt.

Locus autem faciendi à loco indicantis pariter indicatur . Qui omnino differt à materiæ loco, ut probatum eſt : Plura verò loca in faciendis conſideranda. Locus in quo , ex quo, ad quem , per quem.

Pro alteratione locus dignoſcendus in quo , ubi refrigeratio, calefactio &c . convenit : Pro evacuatione tria loca reliqua manifeſta eſſe debent : Unde humor educendus : per quam viam, & ſi extra corpus evacuari non poteſt ; Ad quem locum transferendus.

Pro alteratione dubium nullum eſt circa lo-

cum

cum in quo fieri debet. Ibi enim remedium convenit, ubi agere debet; & ibi agere debet, ubi eſt indicans: Si calor vitioſus totum corpus occupet, corpus totum refrigerandum: Cavendum verò, ne confundatur locus remedij cum loco materiæ, qui eſt omnino diverſus, calor enim jecoris non tollitur niſi refrigeratio in eo fiat: Sed cichoreum per os exhibitum calorem hepatis reſtinguere poteſt,

Locus autem in quo fluxionis materia remedium indicat multiplex eſt, prout materia fluens in multis eſt locis: Humor enim exiſtens in parte affecta fluitans repercuſſionem indicat: Cum incipit moveri, & fluere, poſtulat revulſionem in contrario loco: Si eſt in via, inibi poſtulat interceptionem: Et ſi partim in termino ad quem, & partim in termino ad quem, tunc derivato convenit in loco ad latera, qui cum utroque termino communicet.

De loco etiam, ex quo fieri debet evacuatio res eſt conſpicua; Eſt enim ille, in quo continetur evacuanda materia,&ita locus evacuationis indicatur à loco indicantis: Difficultas eſt in reliquis locis, ad quem ducendus humor, & per quem evacuandus extra corpus: Pro utroque docet Hippocrates illa eſſe debere, quæ ſunt conferentia, & ad quæ natura vergit.

Et quidem translatio humoris ad locum aliquem corporis tum convenit, quando abſoluta evacuatio extra corpus non permittitur; ut mi-

nus malum eligatur, ſicut natura ſæpe utiliter facit in criſibus per abſceſſus: Talis verò locus non propriè indicatur, ſed eſt indicato loco ſubſtitutus.

Loca itaque ſubſtituenda pro abſceſſibus ita eſſe debent, quæ non ſint ita præſtantia, & vitæ minus ſint neceſſaria, ut cutis pro toto corpore, partes externæ, infernæ, glandulæ, & quæcumq; affectis locis minus præſtantia, ut oculus reſpectu cerebri aliquando eligi poteſt. Ita partes principales habent loca propria pro deponendis malis humoribus, ut cerebrum glandulas circa collum, & retro aures, cor in axillis, hepar in inguinibus.

Eradicatio verò, & abſoluta evacuatio extra corpus fieri debet, vel per ipſum locum, in quo continetur materia, ut in externis; vel per illum locum, qui ſi non eſt idem in quo humor peccat, ſaltem habet cum eo conſenſu; unde locus evacuationis, per quem ita indicatur à loco indicantis; ſupponitur enim, locum ipſius humoris evacuandi eſſe totum illud ſpatium, quod eſt inter humorem & meatum externum corporis, per quem evacuari debet, quamvis enim totum illud ſpatium non impleat, in eo tamen ſupponitur eſſe; quia eſt ſaltem in aliqua illius parte.

Pro hujusmodi ergò loco eradicationis inveniendo, reſpiciendus materiæ locus; quæ vel eſt in venis, vel in alijs corporis cavitatibus; & meatibus ſenſibilibus, vel inſenſibilibus: Et ſi venæ totius corporis evacuandæ, quamvis omnis aperta vena poſſit totum profundere,

ſan-

ſanguinem, quia omnes junctæ, magis tamen aptæ ſunt in Plethora univerſali venæ majores inciſæ, & jecori proximiores, baſilica, mediana in brachijs, & quæ ſunt in poplite, & in talo pedis; nam, ut Galenus monet ex venis parvis, quæ in oculorum ſunt angulis, & in extrema manu, vel pedis non fit evacuatio momentanea: Sunt hæmorrhoides quoque venæ in externo ſedis à ramis venæ cavæ derivantes in muſculo ſphinctere, quæ poſſunt univerſalem plenitudinem evacuare: Aliæ verò internæ circa rectum inteſtinum venæ portæ ſunt rami, qui præcordia evacuant.

Pro evacuatione autem particulari, partium ſcilicet locus patet, quando partes externæ ſunt, tunc enim illarum venæ aperiendæ, ita hæmorrhoides tumidæ hirudinibus, item in oculorum angulis ad ophtalmiam, & in angina venæ ſub lingua recluduntur; atque pro ambitu corporis evacuando ſcarificationes fiunt.

Quando verò partes evacuandæ ſunt internæ, nec licet proprias venas aperire, proximiores conſentientes, & ſecundùm rectitudinem aperiendæ: Quem conſenſum ita proponit Galenus.

Partibus omnibus infra renes conſentiunt venæ pedis, poplitis, tali: Sic evacuantur veſica, uterus, teſtes, inteſtina, artus inferiores.

Renes ambigunt, & per ſuperiores venas, & per inferiores evacuari poſſunt. Partes verò ſupra renes, quia diverſæ, ſi fuerint infra collum, vena baſilica, & ſalvatella eligi debent: Pro colli

partibus vena mediana: Pro capite nimis repleto cum venis circumjacentibus tumidis vena cæphalica ſecanda: Si non adeò caput repletum fuerit, ſufficiunt apertæ venæ frontis, narium, temporum, & retrò aures: Nec obſtat, quòd Galenus in affecta manu crurum venas incidat, tunc enim revulſionem, non evacuationem pro ſcopo habet.

Ad reliquas cavitates corporis evacuandas alia ſunt loca pro toto evacuando, alia magis unam partem, quàm aliam evacuant: Pro toto evacuando illa ſunt conferentia loca, quæ à natura ſunt excrementis univerſalibus deſtinata, inteſtina, veſica, cutis univerſa, uterus.

Partes autem ſua quoque habent loca; Cerebrum habet palatum, nares, aures, oculos. Thorax expurgatur ſæpè per os, & per ſedem aliquando, & veſicam, ut in empiemate. Ventriculus evacuatur per os, & per alvum: Per os tamen ſi materia occupet ſuperiora ventriculi, biliosaque fuerit: Per ſedem, quando partes infernas ventriculi obſideat: Inteſtina evacuantur per alvum ſolam: Non enim Galenus alium opportunum agnovit locum; Errant quidem opinantes, diureticis ea evacuari poſſe; Non eſt quidem credibile, materiam in cavitate manentem inteſtinorum traduci poſſe per venas inemulgentes, quod etiam nocuum ſi contingeret: Diuretica verò inteſtinis juvant, quia univerſalem cacochymiam divertunt ab eis: Nec timenda evacuatio

per

per affecta intestina: non aliter evacuari possunt: Totum quidem, & aliæ partes non debent per intestina malè affecta evacuari; Sed quæ in illis resídet vitiosa materia per eadem utique repurganda, sicut pulmonum ulcus per asperam arteriam, & in cardialgia bilis occupans orificium ventriculi per vomitum evacuatur. Jecur expurgatur per intestina, & per vesiam, licet melius per intestina, tanquam per illa, ut Galenus docet, quæ usu callent jecoris excrementa tollerare: Secundùm partem tamen gibbam cum vesica magis consentit, secundùm cavam cum ventriculo, & intestinis.

Quando verò loca sunt multa pro eadem evacuatione, Medicus eligere illum debet, per quem natura conferenter movere solet, vel inclinare observatur: Quandoquidem imitari debet naturam, quæ nihil temerè agit: Imo si ad plura etiam vergat conferenter; per illa plura iuvari debet: Ad plura enim naturam aliquando vergere probat Casus Metonis, qui per sudorem, alui fluxum, & hæmorrhagiam judicatus.

Considerandа tandem, quæ prohibere possunt locum evacuationis indicatum: Hæc ex Galeno duo sunt: Præstantia loci, & morbus. Præstantia quidem, nam jecur per cor, & pulmones non decet evacuare: Morbus, quia non evacuandum per partem affectam, ut est vulgatum axioma: Sed cavendum circa hæc prohibentia; transitus enim humoris vitiosi per nobiles partes vitandus, quando fieri potest, vel saltem in transitu non permittenda

tenda mora transeuntis humoris, ita ut pars nobilis ſit evacuationis terminus: Ita regula intelligenda, cum alioquin purgatio univerſalis per aluum, quæ ducit humores per hepar, non conveniret: Mala eſſet evacuatio ſanguinis per Nares, quia tranſit per cerebrum: Nec empyeuma benè judicaretur per aluum; & urinam, quod laudat Galenus, etiam ſi opinetur Puris tranſitum fieri per cor.

Vitiata materia etiam contenta, & fixa in affecta parte evacuanda per eandem partem: Imò totum corpus Medicus aliquando cogitur evacuare per aliquem affectum locum, quando alius non eſt, & major utilitas quàm noxa ſperatur.

Modus tandem faciendi à modo indicantis indicatur: Quòd cum habeat ſuos modos nocendi, modos etiam oſtendit indicati. Quod enim ſemel totũ nocet, ſemel totum auferri debet, paulatim verò quod nocet, paulatim: Quæ lentè emaciantur corpora lentè reficere oportet; quæ verò brevi, breviter: Si humor aliquis confertim decumbat in locum nobilem cum periculo, confertim evacuandus, ſi paulatim, ita & paulatim evacuari debet.

Interim antequam decernatur faciendi modus, vires corporis, & partium affectarum conditio ſpectari debent, quæ indicatum modum prohibere valent. Hinc Galenus modum evacuationis, & nutritionis deſumit ex comparatione virium, & morbi: Tunc per vices nutrimus, quando ſubitam

tam

tam indicatam refectionem prohibet morbus, aut virium imbecillitas. Tunc per vices evacuamus, vel alteramus, quando totam evacuationem, vel alterationem indicatam non permittit Natura infirmior.

Partes quoque nobiles totum simul, & confertim adhibitum remedium non permittunt: Hepar enim repletum integram, & subitam evacuationem non permittit, quàm alioquin alia ignobilis pars admitteret.

Circa modum evacuationis in præstantibus membris nullum est dubium, nimirum quod magnæ, & subitæ evacuationes prohibentur: Sed in alteratione difficultas, quia magnas, & subitas alterationes in membris nobilibus Galenus,& Avicennas admittunt. Alibi verò Galenus magnam, & subitam refrigerationem pro Hepate vitat, & actu frigida inflammato jecore vetat: Sed Galenus, & Avicennas nullibi vetarunt in principalibus membris magnas quascumque alterationes, sed magnas refrigerationes; atque in hoc proposito certa est sequens Regula.

Magna quævis evacuatio periculosa, & ideò per vices tutiùs tentatur; non adeò verò periculosa quæcumque alteratio, sed tantùm refrigeratio; & ratio est, quia magna evacuatio etiam excrementorum vires dissolvit, & consequenter officium nobilium partium lædit. Alteratio verò nullum incommodum adfert, nisi membrum nobile refrigeretur, cùm functiones omnes caloris beneficio fiant.

CAPUT XIX.

De apta favendi materia invenienda.

POstquam decreverit Medicus quid faciendum, & quibus conditionibus faciendum sit, materias, id est organa faciendorum eligere debet, earumque usum, & conditiones præscribere, quibus indicata effectum habeant.

Electio autem aptæ materiæ cum suis conditionibus à Natura, & conditionibus indicati, & à notitia materierum omnium, quæ juvare, & nocere possunt, desumuntur: Sicut enim indicatum cum suis circumstantijs colligitur ex Natura, & conditionibus indicantis, ita ex natura, & conditionibus indicati apta materia pro illius executione demonstratur: Exempli gratia; ampla sanguinis indicata evacuatio indicatur à magna copia sanguinis: Magna verò evacuatio ita, & ita, subitò, & confertim facienda, Phlebotomiam ostendit esse materiam aptam, quia subitò, & confertim, & multum evacuat.

Sed & materias omnes cognitas ad hoc esse oportet in suis facultatibus, ut ea eligi possit, quæ indicatum auxilium præstet: Sunt autem omnes materiæ in triplici jam proposito fonte contentæ, Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico: fieri namque non potest, inquit Galenus, nisi quis materierum, quibus utimur, facultates exactè calleat, illarum ope egentibus succurrat: Suppo-

natur

natur ita magni biliosi humoris facienda expurgatio, ut ad hanc materia idonea inveniatur, materiæ omnes purgantes bilem notæ esse debent, Rhabarbarum, Scamonea, Cassia, Electuarium Diacatholicum, &c. inter quas idonea eligatur; sicut Rhabarbarum; vel Scamonea, quæ talem evacuationem efficere possunt.

Quemadmodum verò indicata semper non conveniunt, quia prohibentur; ita nec semper expedit propria inventa materia uti, quia potest nocere, & ideò prohiberi: Materiæ namque ferè omnes agendi plures facultates habent, unde contingit, ut altera magis nocere, quàm requisita facultate juvare possit: Ita Phlebotomia in tertiana exquisita febre, ut movens, ut refrigerans convenit, sed, ut evacuans, prohibetur à bilis copia, cum qua deficit sanguis, & magis bilis accenditur. Ideoque, ut Medicus perpendat, oportet, an materia plus noceat, quàm juvet, vel econtra. Profectò illa maximè convenit, quæ omni ex parte juvat, & nihil nocet: Quod si nocumentum sit leve, & corrigi possit, dummodo alia non suppetit materia, noxa corrigenda, & ea omninò adhibenda: Ita si propria sit ad purgationem in ardente febre Scamonea, Pulpa, Cassiæ, vel sero caprino furens ejus calor temperari possit.

Porrò ad materiæ nocumenta evitanda considerari debent corporis universi, tum partium affectarum Natura, ineffabilis proprietas, & conditiones, præstantia, sensus, situs, conformatio.

 Natu-

Natura, & ineffabilis proprietas quidem, & universi corporis, & partium valdè poteſt ad materiam prohibendam etiam ſi convenientem. Multi enim cum aliquibus cibis, & medicamentis naturalem antipathiam habent, ut ea ſint illis venena: Ita vinum aliqui abhorrent, alij caſeum, alij caſſiam, alij Rhabarbarum, acetum, roſas, Moſchum; ſunt, qui Aromatum odore animo linquuntur. Hinc Cantarides extrinſecùs etiam applicatæ veſicam offendunt, & ideò Galenus conſulit, eos Medicos meliùs, ac tutiùs curare illos, quos antea ſanos cognoverint: Avicennas quoque imperat in eodem morbo, mutanda eſſe medicamenta: Et Celſus monet, ut ægri familiarem ſibi deligant Medicum: Tales itaque naturarum proprietates minimè negligendæ, quarum neglectu exitium non raro ſucceſſit: Quòd ſi æger ignotus fuerit, ut ſæpiſſimè contingit, rem ipſam ab ijſdem, vel ab eorum familiaribus Medicus exquirat.

Si deindè pars nobilis fuerit vel commune officium habens, cavendæ materiæ illæ, quæ nocere, & officium commune lædere poſſunt, ut laxantia inflammato Hepate niſi adſtringentia remiſceantur: Item actu frigida: Ita vitanda fætida, ſordida, venefica ſi afficiantur. Os, nares, ventriculus; item flos æris, ſublimatum, & alia ſimilia in oris, gulæ, ventriculi ulceribus. Senſus partis etiam exquiſitus mordentia non permittit, ut oculi, os ventriculi, muſculorum capita. Situs denique

nique si profundus in materia tenuitatem substantiæ requirit, ut penetret: Sic & ratione conformationis densior pars materiam postulat tenuis substantiæ vel cum vehiculo remixtam, quod est necessarium, quando requisita materia fuerit crassior, & frigida, sicut Oxynhodinum in affectibus calidis cerebri componitur ex oleo rosato, & aceto, in quo acetum est vehiculum.

CAPUT XX.

De materiæ conditionibus, modo, quantitate, loco, tempore.

QUemadmodum indicatum cum suis conditionibus aptam nobis ostendit materiam; ita materiæ quoque conditiones circumscribit. Intemperies calida indicat refrigerationem; sed nescimus adhuc, qualem refrigerationem nisi conditiones, quas habere debet refrigeratio, dignoscantur: Ex modo enim, quantitate, loco, tempore refrigerationis faciendæ apta materia cum suis conditionibus ostenditur.

Modus itaque materiæ adhibendæ vix potest in chirurgicis materijs esse, nisi pro multiplicitate instrumentorum chirurgicorum modus etiam distinguatur. Sed necessarius est maximè in Diæteticis, & Pharmaceuticis, quarum varius esse potest: Materia actu calida, vel frigida, fluida, vel solida, Aquæ, Decocta, Syruppi, Pilulæ, Ele-

ctuaria, Conservæ, integra, vel pulverizata: Externa materia quoque multiplicis modi, ad formam balnei, lotionis, fomenti, suffumigij, stillicidij, olei, unguenti, cerati, emplastri, cataplasmatis, &c.

Pro inveniendo verò materiæ modo non solùm indicati conditiones dignoscendæ, sed etiam singulorum modorum diversitas in agendo supponenda, ut eligatur modus ille, quo materia præstare possit, quod indicatur: Et præterea est necessaria partis affectæ consideratio in suis jam suppositis conditionibus, Id quod exemplis ita demostratur.

Cibus, & potus æstate frigidus actu, hyeme calidus ex Hippocrate. In febricitantibus, & sitientibus actu frigida conveniunt: Calida omnia pro internis affectibus, ut penetrent, cuti applicantur, actu calida membris principalibus affectis: Item calida ulceribus, nervis. Frigida, etiam si calefaciendum sit, unde sanguis fluit, aut fluxurus est, & ubi repellere, aut externa refrigerare oportet: Fluida sunt adhibenda, ubi cita penetratione opus est; unde Hippocrates, faciliùs est impleri potu, quàm cibo: Febricitantibus humidus cibus convenit: Imò & ægris omnibus fluidus, quia faciliùs, & citiùs conficitur, & distribuitur: Et Avicennas ad citam refectionem aqua carnis utitur, & Hippocrates odoribus.

In affectibus gulæ, & Thoracis consistentiam aliquam habere debent medicamenta, nè citò delaban

labantur, & ita in externis partibus Cerata, Emplaſtra, unguenta glutinoſa, viſcida fiunt Pice, Reſina, Cera, &c. nè diffluant, & decidant, utque adhæreant.

Purgantia formæ ſolidæ conveniunt ubi remotiores partes à ventriculo purgandæ, & materia purganda multa, & contumax eſt, quia diutiùs ita intus morantur, unde pro capite purgando in uſu Pilulæ ſunt.

Ex fluidis conſervant vires agendi magis ipſarum materierum ſucci, deindè infuſiones, tertiò decocta, & minimè omnium deſtillationes.

Inter externa ſtillicidia maximè valent, & penetrant, unde pro cerebro ſuper caput, & ſuper ventriculi regionem adhibentur.

Balneum pro capite, collo, humero adhiberi non poteſt: ſed conveniunt fomenta, lotiones, perfuſiones.

Suffumigia inſtituuntur pro affectibus capitis, narium, thoracis, uteri, & pro toto corporis ambitu.

In ordine autem ad conditiones partis affectæ, principales partes actu frigida non tollerant: Senſus etiam exquiſitus nec frigida, nec valdè calida, neque mordentia permittit: profundæ, & remotæ calida, & ſubſtantiæ tenuis requirunt: externæ craſſa potiùs in conſiſtentia, & glutinoſa; denſiores calida, & tenuia exigunt.

Deindè ſuccedit materiæ quantitas, quæ menſuram, extenſionem, & pondus reſpicit, præceptiſque

ptiſque opus habet, nè vel nimia cum damno, vel diminuta ſine fructu adhibeatur: Idem namque medicamentum, ut Scamonea quantitate debita ſanitatem, nimia mortem infert: Inventu autem difficilis eſt, nam ejuſdem materiæ quantitas juvat Socrati, non Platoni; imò quæ, ſemel juvavit Socratem, iterum non juvat.

Materiæ quantitas planè decernenda ex cognitione materiæ penes facultatem agendi, & affectus indicantis, partiſque affectæ cum ſuis conditionibus.

Et quidem niſi experimento priùs dignoſcatur quæ, cujuſque materiæ quantitas ſufficiat ad faciendum, & vel multum, vel parum, vel cum exceſſu agat, inveniri nō poteſt materiæ conveniens quantitas. Materia quævis enim certam aliquam habere debet molem, ut agere poſſit infra, quàm non agit, vel cum damno per exceſſum ab illa agit: aquæ gutula nullam corporis partem refrigerat; ſed olei deſtillati guta poteſt multum alterare: Rhabarbarum duplici dragma optimè purgat bilem, ſed Scamoneæ dragma interficiet.

Statuendi ergò in materiæ cujuſvis quantitate termini utrimque maximus, & minimus: Et inde ratio convenientem quantitatem demonſtrabit; ut Rhabarbari minima doſis eſt media dragma, maxima, quatuor dragmæ; Hinc non difficilè pro Socratis purganda bile ex natura ipſius Socratis, & ex copia, & loco ipſius bilis, Rhabarbari doſis conveniens decerni poteſt.

Affe-

Affectus item extensio materiæ quantitatem ostendit: Quò enim majorem locum affectus occupat, eò majorem requirit materiæ dosim, non profectò tantam quantus est locus affectus; sed majorem, quàm requireret idem affectus, si minorem occuparet locum: Sicut & humor purgandus quò copiosior, eò majorem purgantis pharmaci quantitatem postulat: Sicque patet materiæ quantitatem ex quantitate indicati desumi.

Quò insuper intensior fuerit affectus, eò majorem juvantis materiæ quantitatem exigit: In majori enim quanto major virtus aqua extinguit quidem ignem, sed aquæ libra magnum incendium nihil alterat: Quod si pauciori aliquandò Medicus utitur quantitate, in causa est, quia tota, ut in reliquis prohibetur: Nunquam tamen ita pauca esse debet, ut infrà minimum terminum experimento inventum subsistat, quia nihil ageret.

Partis affectæ conditiones denique materiæ quantitatem variant: Præstantiores enim partes, & sensu exquisito præditæ magnam quantitatem non permittunt: Et ratione situs, atque conformationis, si profundæ, & densiores partes majorem requirunt materiæ quantitatem, ut integris viribus eò, quò oportet, penetrare valeat: major purgantis materiæ dosis est necessaria pro educendo ex articulis, & capite humore, quàm ex ventriculo, & visceribus naturalibus; ita major quantitas refrigerantis materiæ necessaria ad refrigerandos renes, & uterum, quàm pro ventriculo.

Locus administrandæ materiæ, ut jam suppositum est diversus à loco remedij, & ille esse debet, ubi materia cum juvamento applicari potest, quem, ut oportunum decernat Medicus, observare debet, quid facere, & in quo loco facere debet; Deinde qua materia uti velit, Plebothomia, Pharmaco purgante, alterante &c. Ex his enim facilè cognoscitur locus oportunus pro adhibenda materia, quæ affectæ parti admovenda si fieri possit, vel eo loco admovenda, per quem faciliùs in affectam partem valeat pervenire, ad majorem autem talis loci explicandam inventionem distinguenda sunt corporis loca, quæ possunt esse vel externa, vel interna.

In externo corporis ubi est affectus, ibi applicanda materia: ita Erysipellas in Tibia refrigeratur lactuca, Solatro, & alijs Tibiæ applicatis: quod si pro Erysipellate Phlebotomia in superioribus venis, purgatio, & alia per alia loca fiant, causam, & humorem biliosum fluentem, & redundantem respiciunt.

Pro internis partibus verò alius plerumque est materiæ locus, qui ut eligatur oportunus, distinguendum est, an alteratio, vel evacuatio fieri debeat: Si alteratio convenit, ille locus eligendus, per quem vel tota alterantis materiæ substantia, vel ejus vaporosa portio penetrare valeat; Pro totali substantiæ penetratione locus esse debet, qui vias, & meatus habeat conspicuos. Ut penetret vapor, exigui meatus, & Pori sufficiunt. Ita pro nutritione tota cibi substantia penetrare debet; unde locus cibi

alius

alius esse non potest, quàm os, per quod in ventriculum, & inde per venas in hepar, & totum corpus distribuitur; Clysteribus enim nutrientibus compositi, ac externæ resumptivæ injunctiones parum, vel nihil ad nutritionem possunt, quamvis non omitti debeant; & eadem ratione Alterantia convenientem locum habent per os, quando intestina, ventriculum, hepar, sienem, & corporis omnes internas partes alterare debent.

Quia verò sunt partes, quæ non unicam habent viam, locus ille convenit, qui proximior est, ut magis commodus, & facilis. Ita ventriculo, & intestinis tenuioribus proximius est os, quàm sedes, crassioribus intestinis sedes; Pro vesica, & utero injecta magis juvant; Pro cerebri alteratione tota substantia penetrare non potest, sed vapor solus, & ideò applicari debent alterantia suturis cranei, auribus, palato, naribus; & per os item sumenda, quia ex ventriculo habitus plurimi ascendunt.

Pro evacuatione autem locus eligendus, per quem faciliùs, & breviori via humorem purgandum, vel substantia, vel sua virtute materia purgans attingere, ac trahere valeat; Ita humorem in hepate vel per os, vel per sedem adhibita purgantia evacuant, licèt validiùs, & citiùs per os assumpta, & ut evacuetur sanguis è capite, non secanda vena pedis, sed frontis, aut narium venæ aperiendæ.

Tempus materiæ tandem oportunum, quod occasionem vocat Hippocrates, conditio est maximè necessaria, & difficilis in omnibus, victu, medi-

 ca-

medicamentis, & chirurgicis auxiliis: Necessaria quidem, nam quæ data apto tempore iuvant, data non apto tempore sæpè nocent. Venæ sectio à cibo statim nocet; In accessionibus à cibarijs abstinere oportet; Difficilis autem, quia occasio præceps ex facili, & repentina mutatione nostri corporis à caussis internis, & externis, ita ut quod juvare potest hac hora, imò, & hoc momento, paulò post nocere possit.

Hoc verò materiæ tempus non desumitur ex præsentia indicantis, & absentia prohibentis sicut faciendi tempus, ut probatum est aliud esse tempus faciendi, & aliud materiæ administrandæ: Nec solùm differunt faciendum, & materia in tempore, sed & materiæ diversæ tempore differunt: Ad febrem enim continuam refrigerandam plures materiæ utiles esse possunt, aër frigidus, venæ sectio, aqua hordei, herbarum succi, decocta &c. Et aër quidem semper convenit sine intermissione, venæ sectio una, vel altera vice adhibita satis refrigerat, & ante cibum per horam convenit: Aqua hordei tempore cibi oportuna: Syruppi conveniunt per horas quatuor ante cibum: In declinatione morbi concocta materia purgatio convenit: Pilulæ quinque horis ante cibum exhibentur. Potiones tribus, vel quatuor: Unde patet, tunc quidem faciendum, quando præsens est indicans, & nihil prohibet; Sed non semper esse materiam administrandam.

Materiæ igitur oportunũ tempus est illud, quando agere & iuvare potest, quod invenitur ex cogni-

tione

tione ipſius adminiſtrandæ materiæ penes facultatem agendi, & locorum, in quibus agere debet.

Materiæ quidem habent omnes propria agendi tempora. Aqua hordei duplici vice in die ſumpta poteſt continuò per totam diem refrigerare; Aer frigidus eſt ſine intermiſſione conveniens, quia expiratur: Item aliæ materiæ ſtatim agunt, aliæ multum poſtea, aliæ hoc tempore, aliæ alio juvant.

Prohibetur autem materiæ adminiſtratio eo tempore, quando nocere plus valet, quàm iuvare: Nocere quidem poteſt, quando plures agendi facultates habet, unde una licet iuvet, altera lædere valet: Ita nutritio aliqua eſt ſemper neceſſaria, & continua eſſe debet, ſed alimentum non ſemper exhibendum, quia duabus vicibus in die ſumptum ſufficientem nutritionem præſtare valet; & ſi ſingulis horis exhiberetur, noceret: Et in acceſſionibus morborum: non exhibetur cibus, quia læderet naturalem calorem divertendo. & opprimendo: In magna plenitudine quoque vena illicò ſecari debet cum febris acuta inde conſurgit; ſed ſi contingat, ventriculum indigeſto cibo plenum eſſe, poſt aliquas horas differtur, ne rapiatur cruda materia intra venas: Regula itaque certa eſt pro tempore convenienti adminiſtrandæ materiæ: eo tempore adminiſtranda materia, quando, vel abſolutè iuvare, vel plus iuvare, quàm nocere poteſt. Conditio etiam locorum ubi agere materia debet, eſt conſideranda, ut illius oportunum tempus decernatur: Situs enim varius locorum, tempus materiæ variare poteſt: Quandoquidem ſi locus fuerit diſtans,

& profundus, plus requiritur temporis, ut perveniat ad partem affectam, & ideò actionis tempus æstimandum, ut eo tempore administretur, quo possit oportunè indicato satisfacere.

CAPUT XXI.

De experientia, altero in arte medica instrumento deliberationis.

EXperientia est, ut Philosophus definit, repetita sæpiùs memoria, & observatio ejusdem rei, quæ eodem modo evenit: Adeò ut plures ejusdem rei memoriæ constituant experientiam. Hæc illa propria experientia, quæ in arte medica est alterum instrumentum deliberationis: Quo solo Empyrici utebantur, & Dogmatici utuntur, ubi ratio locum non habet; Quando nimirum ignotum est id, à quo pendet deliberatio.

Confundit verò vulgaris quidam loquendi modus experientiam cum exercitatione; Medicum enim exercitatum, peritum, & expertum vocant; & profectò exercitatio multa in omni arte necessaria, sine qua, id quod est ex usu in actu operandi Artifex non facilè præstat; Et hæc est peritia illa, quæ praxi, & agendo comparatur, & qua verus Artifex redditur, acquiritque promptitudinem, & facilitatem in deliberandis operibus, & in operatione ipsa, quæ nec dici, neque scribi potest. Hæc tamen propria non est experientia, quæ ut instrumentum deliberandi Medico inservit,

& si-

& ſicut fuit definita, eſt notitia ex ſola facta obſervatione in multis ejuſdem rei, quando ignotum eſt illud, à quo reſultat conſilium, & decretum: Exercitatio verò & in methodo, & in dogmatis, imò & in experimentis eſt neceſſaria, ideóque ſolo uſu, non præceptis, & doctrina comparatur; Eſtque ipſamet ars medica in docto, & perito medico; habitus nimirum medicinam faciendi longo uſu comparatus.

Experientia ergò, quæ alterum eſt inſtrumentum cognitionis in Arte Medica uti Medicus debet non in omnibus ut Empyrici, ſed ubi ratio non habetur; quia ignotum eſt illud, quod tractari debet, & unde pendet deliberatio: Hoc autem non ſolùm contingit ubi affectus eſt ignotus, ſed frequenter etiam quando cognitus eſt circa materiæ inventionem, & uſum: ut flava bilis quamvis cognita ut evacuetur. Sola experientia Materiam, Rhabarbarum, Scamoneam &c. demonſtrat.

Sicut circa morbum ignotum nec ſola experientia uti Medicus debet, ſed & ratione in multis eget; Quid faciendum enim, & quæ materia ſit conveniens experientia quidem oſtendit, ut in morbo venereo remedium curativum, & ſignum Guvaiacum ſolo experimento fuerunt inventa; ſed faciendi conditiones in quovis etiam occultiſſimo: affectu, & multa in materiæ uſu, quo tempore, quo loco, quo modo, multum, vel parum, ratione invenitur: Ut in eodem venereo morbo, an ſtatim, & citò ſit curandus magno remedio, vel parvo; In quo corporis loco, & quomodo, ratio ipſa docet; Occulor-

tum

rum enim indicantium conditiones ſunt manifeſtæ.

Experientia autem ſæpiſſimè juvat ad materiam præſidiorum inveniendam, & non rarò ad rectum ipſius materiæ uſum: Ita profectò ad conſervandam Corporis univerſi, & partium proprietatem, ad expellendos, & alterandos malignos humores, ad purgationem, & ad nutriendum, experientia ſola, hepatica &c. Alexipharmaca, purgantia, & alimenta fuerunt reperta; Affectus etenim his temporibus ignoti ſunt venena, & venenati maligni humores, hydrophobia, Elephantiaſis, Lues Venerea, Plica Polonorum. Et in rebus ſecundùm naturam eſt affectus, qui conſiſtit in proprietate temperamenti & univerſalis, & partium omnium, unde per ſolam experientiam hepatica, cardiaca, cæphalica &c. & alimenta cognita fuerunt.

Quando autem Medicus uti debet hoc inſtrumento, cautè incedat, ſive ipſe primò aliquid velit experiri, vel uti rebus aliorum labore inventis ac expertis: Periculoſum enim, ut ait Hippocrates, eſt experimentum ob ſubjecti dignitatem, quod eſt corporum omnium nobiliſſimum, & ob facilem alterationem, & mutationem, proprietatesque ineffabiles ejuſdem corporis, quæ multum affectuum alioquin manifeſtorum conditiones variant.

Ad experientiam verò faciendam, cum quis primò aliquid experiri velit, Galenus tria obſervanda proponit; Primò, ut materia non valdè alterata ſit à ſua natura; Si enim adſcititiam qualitatem habeat

beat decipere poteſt; Ut ſi quis viderit aquam calidam calefacere, non propterea æſtimare debet; aquam eſſe calidam. Secundò, ut fiat experientia in homine temperato, & cum ſimplici affectu: In calidiori enim temperamento medicamentum minus calidum refrigerat: Et quando multi ſunt vitioſi affectus, ſi omnes tollantur, non poteſt Medicus dignoſcere, quem curaverit, & amoverit medicamentum adhibitum. Tertiò denique diſtinguendus effectus per ſe ab effectu per accidens; multa enim frigida per ſe, calefaciunt per accidens: In Juvene carnoſo eſtate media, inquit Hippocrates, frigidæ aquæ larga perfuſio calorem revocat: Purgantia etiam ſi calida, quia evacuant calidos humores refrigerant.

Quando autem remedijs ab alijs experimento inventis, vel à ſe probatis Medicus uti velit, caveat ne proprius, vel Præceptoris amor decipiat; Supponat, quòd una Hirundo non facit Ver; quòd Veritas non repugnat veritati; Et quod experimentum non una, vel altera vice factum ſubſiſtit, cum certum ſit, experientiam eſſe memoriam ex multis obſervationibus factis eorum; quæ ſæpè, & eodem modo fuerunt obſervata.

CAPUT XXII.

De Analogiſmo tertio deliberandi Inſtrumento in Arte Medica.


ANalogiſmus eſt Artis Medicæ tertium inſtrumentum, quo Medicus deficiente ratione, & nullo adhuc facto experimento, uti cogi-

 tur

tur: Definiturquè est comprehensio juvantis, & nocentis ex similitudine. Analogismus itaque postremum est instrumentum pro consilio Medico, quia minus valet, & minus tutum, tamquam illud, quod magis quàm experimentum decipere potest; Similitudines enim, ut observat Hippocrates, Medicis errores imponunt, quia non rarò similia, quæ videntur, maximè sunt diversa, & aliquando contraria. Quando tamen id, à quo pendet indicatio, & consilium est ignotum, nec factum adhuc experimentum, tunc necessarium est refugium ad similitudinem, quæ in omnibus deliberandis circa quid faciendum, qua materia, & quibus materiæ conditionibus locum habere potest.

Sed pro Analogismi recto usu, distinguenda est similitudo, quæ triplicis generis traditur à veteribus Medicis. Alia est, qua comparatur morbus ignotus cum morbo cognito, & affectus, & causæ cum affectibus, & causis. Altera est, qua comparatur pars corporis cum parte corporis, & totum corpus cum toto alio simili corpore. Tertia similitudo est, qua comparatur remedij materia cum alia materia: Qua supposita distinctione, Medicus dogmaticus ita uti debet similitudine, ut in eodem genere fiat comparatio, morbi cum morbo, partis affectæ cum parte affecta, & materiæ cum materia; caveatque, ne transitum faciat de genere in genus, comparando morbum cum materia, vel materiam cum parte affecta &c. Rationi enim consentaneum est, ea similem habere essen-

tiam,



tiam, quæ sub eodem genere similia habent accidentia: Morbus gallicus ita primùm analogismo tractabatur, quia de remediis propriis nullum erat experimentum; & ideò Medici docti observantes inter morbum gallicum, & Lepram, Elephantiasimque magnam similitudinem, Lepræ, Elephantiasisq; medicamentis non inutiliter curationem tentabant: Ita si Podagræ aliqua materia experta fuerit utilis, tali exemplo propter similitudinem affectæ partis eadem potest Medicus in chiragra uti; etsi utile fuisse, Cichoreum compertum sit, defficiente Cichoreo, Endivia potest administrari.

Laus & Gloria D. O. M.

FINIS.